AUTHOR:

MOSENGEL, GEORG

TITLE:

VINDICIAE JUVENALIANAE

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1887

Master Negative #

93-81297-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Mosengel, Georg,
Vindiciae Juvenalianae; dissertatio inauguralis quam... scripsit Georg Mosengel... Lipsiae, typis expressit Oswald Schmidt, 1887.
72 p. 22 cm.

Thesis, Erlangen.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA



FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 4-19-93 INITIALS MGY
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT




AIIM



Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202









MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.



VINDICIAE JUVENALIANAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE ERLANGENSI RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GEORG MOSENGEL
HANOVERANUS.

LIPSIAE.
TYPIS EXPRESSIT OSWALD SCHMIDT.
MDCCCLXXXVII.

PATRI CARISSIMO

D. D. D.

AUCTOR.

1*

Priusquam ad rem ipsam accedamus, paucis explicandum videtur, quid hisce pagellis tractaturus sim. Duas in partes divisi argumentum huius commentationis, quarum priore de vestigiis, quae habentur, duplicis recensionis in satiris Juvenalianis, altera de syntaxi casuum Juvenaliana agam. In locis laudandis Jahnii editionem alteram (Berol. 1868) secutus sum.

I.

De vestigiis, quae habentur, duplicis recensionis in satiris Juvenalianis.

In Juvenalis vita IV. omnium, quotquot ad nostram pervenere aetatem, brevissima et locupletissima refertur in exilio eum satiras ampliasse et pleraque mutasse. Quibus verbis ut testimonio certissimo utitur Ribbeckius[1]) ad augendam vim sententiae priscis iam temporibus esse cogitatum de interpolationibus ab aliis Juvenalis nomine factis; neque enim, cum credibile non sit Juvenalem senio et taedio vitae confectum satiras mutasse, haec verba de illo esse intellegenda sed potius de poeta minutulo, qui lucri studiosissimus satiras ampliaverit et novas aliquot addiderit. Sed cupidius ut plerumque Ribbeckius iudicasse et testimonium aucupatus esse mihi videtur, quo nitatur perverse saepe inita et ultra quos licet fines progrediens ratio interpolationum. At alii viri docti, cum verba illa ad Juvenalem ipsum pertinere sibi persuaderent, sagacius quam verius probare conati sunt vestigia vel amplificationis vel mutationis a poeta ipso institutae exstare in satiris Juvenalianis. Ac primus quidem Heinrichius in satiris duplicis recensionis vestigia deprehendisse sibi visus est, cum haec scriberet in commentario p. 330: „Ich glaubte sonst, der Dichter könne selbst in neuen Abschriften seiner Werke eine Veränderung gemacht haben, und es pflanzten sich nachher beide Lesarten nacheinander fort in Handschriften, die nach dem ersten und revidirten Original gemacht wurden. 7, 139 theilen sich die codices ebenfalls zwischen zwei Lesarten, die allem Ansehen nach beide vom Dichter herrühren.

[1]) In libro, qui inscribitur ‚Der echte und der unechte Juvenal‘. Berol. 1865. p. 72 sq.

Es ist aber auch sehr möglich, dass hier die Mönche wieder änderten." Sed cum vir ille doctus dubitanter sententiam suam dixerit et lectionum illam discrepantiam alio quoque modo explicari posse libenter concesserit cumque de altero loco 8, 147, ubi duplicis recensionis exemplum nactus esse sibi videtur, paullo infra accuratius nobis dicendum sit, hoc loco Heinrichii sententiam obiter tetigisse sufficiat. Neque est cur Paldami[1]) sententiam, qui in satira 8, 7 duplicis recensionis vestigia exstare suspicatus est, hoc ipso loco accuratius examinemus, cum infra eodem revolvamur. Novissime vero Teuffelius[2]), qua erat sagacitate, rationem illam explicationis ingressus probare conatus est poetam ipsum retractantem carmina pro eis versibus, qui minus placerent, novos ad marginem apposuisse eosque versus superioribus non deletis postea in textum irrepsisse opera eorum, qui novam editionem curarent. Inde esse factum, ut pluribus locis aequabilis orationis tractus interrumperetur et certa quaedam disponendi ratio prorsus neglegeretur. Teuffelii vestigiis insistens Weidnerus[3]) hanc sententiam protulit: „Ist eine Redaktion der sämmtlichen 5 Bücher vielleicht von Freundeshand erfolgt, so darf man annehmen, dass aus dem Nachlass und den Papieren des Dichters die frühere Ausgabe manche Zusätze erhalten hat, welche durch Zeichen wahrscheinlich von dem früheren Text unterschieden wurden. Im Laufe der Zeit schwanden diese Zeichen, und wir haben nun einen Text, in welchem einzelne Gedanken doppelt bearbeitet erscheinen. Daneben erlitt er manche Verderbnisse, teils durch Einmischung fremdartiger Verse, vielleicht aus dem Handexemplar des Dichters..." Sed cum certa argumenta plerumque requirantur, quibus stabiliatur Weidneri sententia, audacius quam verius vir ille doctus coniecisse mihi videtur.

His praemissis ad rem ipsam transeamus et quaeramus, num carmina Juvenaliana re vera ita sint comparata, ut iure viri docti duplicis recensionis vestigia invenisse videri possint.

---

[1]) Zeitschrift für Altertumswissenschaft 1838 p. 1144.

[2]) Conferas eius commentationem in „Studien und Charakteristiken" p. 424—434; Musei Rhenani tomum XX. p. 153 et adnotationes ad translationem satirarum.

[3]) In praefatione editioni adiecta p. 18.

Prima satira, quae operi Juvenaliano quasi praefatur, poeta exponit primum, cur carmina condat, et affert causam, quod totiens aliorum recitationibus vexatus ulcisci velit (1—18). Deinde affert causas, cur satiras scribat ac non potius res ex mythologia desumptas carminibus illustret. Ad satiram excitatur suae aetatis vitiis, quorum magnum numerum affert a levibus peccatis ad graviora vitia transiens. Bilis movetur cuique, qui videt spadones uxorem ducere (22), mulieres virorum partes agentes nudata mamma in arenam descendere (23), libertinos ipsos divitiis ac mollitie patricios superare (24—29), causidicos delationibus opes sibi comparare (32—33), delatores nobilissimum quemque bonis paternis exuere et inter se timere, ita ut Massa et Carus, qui et ipsi clarissimi erant delatores illius temporis, timeant, ne ab alio quodam deferantur (33—36), nonnullos libidinibus sceleratissimis mulierum servire, ut earum heredes fiant (37—44), pupillos fortunis a tutoribus spoliari (45—47), repetundarum reos damnatosque maximam partem retinere pecuniae in provinciis per vim et fraudem exactae et exules luxuriosius vivere quam domi (47 - 50). Neque deteriora desunt, cum omnis probitas, pudor, deorum reverentia evanuerit: mariti ipsi prostituunt uxores suas, ut filio sibi nato bona moechorum hereditate accipiant (55—57), dux cohortium omni re familiari amissa non dubitat partes Automedontis pueri agere et coram omnibus axe citato Flaminiam pervolare (58—62); ut aliquis falso testamento subdito dives fiat ex paupere, haud raro accidit (63—68), haud rarius, ut uxor maritum veneno de medio tollat (69—72). His quattuor exemplis allatis poeta hortatur, ut, qui valere aliquid velit illa aetate, crimen grave ineat; ‚nam criminibus debent hortos, praetoria, mensas, / argentum vetus et stantem extra pocula caprum' (73—76). Priusquam vero poeta hanc partem, qua exponit, cur satiras scribat, ad finem perducat, alias quasdam indignationis causas affert. Notat enim haec tria sui temporis obscoenissima vitia: corruptorem nurus avarae, quae magis lucro quam pudicitiae consulat, sponsas turpes i. e. viros viris nubentes, id quod a Nerone factum esse scriptores veteres testantur (Sueton. Nero 28—29. 46—49), praetextatum adulterum, qui puer adhuc sceleratissimae illi adulterii libidini servit. Quare, cum tot tantisque vitiis contaminata sit civitas,

quis est, quin excitetur ad satiram scribendam, cum indignatio animi ipsa unicuique etiam rudi versum subministret (77—80). Offendit sane, quod poeta re ad finem quendam versibus 73—76 perducta denuo incipit alia quaedam vitia eaque non graviora commemorare, quare alii aliter de versibus 73—80 iudicaverunt.

Ribbeckius[1]) ut eius sententiam primum referam, cum versus non eodem, quo voluisset poeta, loco traditos esse sibi persuaderet, hunc versuum ordinem proposuit:

„Signator falso, qui se lautum atque beatum / exiguis tabulis et gemma fecerit uda? aude aliquid brevibus Gyaris et carcere dignum, / si vis esse aliquid: probitas laudatur et alget. / criminibus debent hortos, praetoria, mensas, / argentum vetus et stantem extra pocula caprum. / occurrit matrona potens, quae molle Calenum / porrectura viro miscet sitiente rubetam, / instituitque rudes melior Lucusta propinquas / per famam et populum nigros efferre maritos. / quem patitur dormire nurus corruptor avarae, / quem sponsae turpes et praetextatus adulter? / si natura negat, facit indignatio versum, / qualemcunque potest, quales ego vel Cluvienus'. Et cur haec transpositio? Ne series facinorum domesticorum interrumpatur, ad quae poeta redit v. 77 versibus 73—76 intermissis. Sed tantum abest, ut hac transpositione aliquid proficiatur, ut difficultates augeantur. Rectissime enim Ribbeckio de transpositione, quam ille desiderabat, a Teuffelio[2]) obiciuntur haec: „Die 4 Verse aude aliquid-caprum sind nunmehr deplacirt, da sie anstatt, wie ihr Inhalt voraussetzt, nach der Erwähnung eines besonders schweren Verbrechens zu stehen, jetzt auf eine Testamentsfälschung folgen, die unmittelbar zuvor (V. 68), wenn auch ironisch, als eine Kleinigkeit dargestellt war; und zwischen ihnen und den folgenden 4 Versen ist dann ebensowenig ein klarer Zusammenhang wie zwischen diesen und den letzten vier. So gestellt und durch die Unterbrechung mit 4 Versen von seiner Verbindung mit V. 63 losgerissen, ist occurrit etc.“ Neque Wirzio[3]) assentior, qui versus 77—78 spurios esse censuit: „Die ganze Reihe zur Satire herausfordernder Züge von 22 an ist

[1]) l. c. p. 137.
[2]) Mus. rhen. tom. XX. p. 153.
[3]) Philologus 1877 p. 293 sq.

dem Leser vorgeführt als eine Folge von Bildern, die wie dem Dichter, so Jedem auf der Strasse begegnen, wo das Laster öffentlich sich zeigt und siegreich einherstolziert. Die blosse Konstatierung von Ehebruchsfällen und geheimen Sünden im häuslichen Leben gehört nicht in diese Reihe, sondern allenfalls in den folgenden Teil, wo das heutzutage massenhafte Vorkommen aller möglichen Laster besprochen wird. 87 ff.“ Sed inde a versu 22 poeta vitia vitiis adnectit, quae utrum in via an domi fiant nullius momenti mihi esse videtur. Proinde quasi ab hac satirae parte adulteria et vitia domestica aliena sint. Nonne poeta vv. 55, 56 in adulterii vitium invehitur? Pergit Wirzius: „Der neue Ansatz mit dem phrasenhaften ‚quem patitur dormire' ist matt und schwächlich.“ Equidem potius dixerim poetam loquendi varietati cuidam studuisse et verba illa stilo rhetorico aeque digna esse ac ‚quid referam' (v. 45) et ‚nonne libet medio ceras implere capaces quadrivio' (v. 63). Quo vero iure Wirzius vv. 78 et 79 inter se cohaerere negaverit non intellego eoque minus, quod versibus 77 et 78 eiectis desiderantur vitia quaedam graviora, quo respiciat ‚indignatio', quamquam negari non potest vocem ‚indignatio' non tam ad vitia paullo ante commemorata quam ad illa omnia inde a versu 22 descripta referendam esse. Teuffelius[1]) denique versus 73—80 duplicis recensionis vestigia prodere his verbis comprobare conatus est: „Nach den beiden letzten Beispielen eines Mannes, der durch Testamentsfälschung zu Reichtum gelangt ist, und einer Frau, die ihren Mann vergiftet hat und doch noch fortwährend in Ansehn steht, fährt der Dichter fort: Kurzum, im heutigen Rom muss man ein Schuft sein, um es zu etwas zu bringen und Schätze aller Art zu erwerben. Damit ist die Betrachtung an einen Ruhepunkt gelangt, und wir finden es um so befremdender, dass wir gleich darauf abermals in Atem gesetzt werden und vollends gar fast zwecklos.“ Putat igitur vir ille doctissimus, cum verbis ‚stantem extra pocula caprum' totam illam disputationem non sane apte concludi opinetur, versus 73—76 delendos esse. Sed tantum abest, ut versus illos ex sua quidem sententia non modo

[1]) Decimus Junius Juvenalis Satiren übersetzt von W. Hertzberg und W. S. Teuffel. Stuttgart 1867 p. 173 et Mus. rhen. XX. p. 153.

supervacaneos sed etiam orationis contextum foede interrumpentes Juvenali abroget, cum speciem Juvenalianam prae se ferant, ut in priore recensione a poeta ipso eos compositos putet, postea vero in altera recensione eis substitutos esse versus ‚quem patitur — Cluvienus', utramque vero recensionem ad nos esse propagatam editorum culpa, qui alterutram haud libenter delere voluerint. Si quis leviter attendat, ad Teuffelii sententiam facile perduci potest. At tamen paullo accuratius respicienti mihi elocutionem Juvenalis propriam, qui fusius disputare et rem ad finem perductam novis exemplis, quasi denuo incipiat oratio, illustrare consuevit, vir ille doctissimus non recte de hoc loco iudicasse videtur. Ipse de proprietate illa Juvenaliana subtiliter haec disserit.[1] „Zu einem wahren Künstler fehlt dem Juvenal die Genialität, die leichte geschmackvolle Gruppierung des Stoffes, die Formbeherrschung; keuchend kommt er daher, und kaum hat er, von der Natur überwältigt, einen Augenblick Pause gemacht, so rafft er sich von neuem auf, um seinen mühseligen Weg fortzusetzen." Ne Hermannus quidem, qui Juvenalis virtutes maxime illustrare studet, genus illud orationis fusum et tractum negat, cum dicat[2]: ‚Intra singulas modo partes hoc sibi indulget, ut semel rem dixisse non contentus eandem variis vel exemplis vel imaginibus illustret cumque iam omnia exhausisse videatur, veterem sententiam argutiarum luminibus inflammet, immo vel fortuitae mentionis opportunitate ad longioris declamationis aculeos abutatur etc.'

Quod poetae proprium esse Teuffelius ingenue profitetur, id ad sententiam viri illius docti refutandam valet neque causae quidquam esse videtur, cur ad remedium illud duplicis recensionis confugiamus. Poeta indignatione plenus et exacerbatus priusquam pergit non minus terribilia et foeda facinora enarrare, paullum consistit et omnem bilem, quem ei movit tot tantorumque vitiorum descriptio, effundit. Ad genus illud elocutionis illustrandum pro multis unum affero exemplum manifestissimum e satira XIV petitum. Poeta enim quamquam versibus 161—172 veterum illorum temporum simplicitatem praedicavit et cum suae aetatis luxuria contulit, tamen v. 179 sq. ad eandem rem redit.

[1]) in adnotationibus ad translationem satirarum p. 164.
[2]) in praefat. edit. p. XI.

In secundae satirae versibus 143—148 interpretes maxime haeserunt. Sane offendere potest, quod poeta in concubitum Gracchi cum tibicine monstruosum invectus et de foeditate illius vitii ita vociferatus, ut nihil immanius, nihil taetrius esse videatur, descendere in arenam foedius esse dicit. Quare Ribbeckius[1]) versus 143—148 interpolatoris cuiusdam additamentum esse censet: „Was soll nun in diesem Zusammenhang das Auftreten des Gracchus als Gladiator, und wie ist es glaublich, dass Juvenal die Wirkung jenes unnatürlichen Hochzeitsgemäldes und der daran geknüpften Sarkasmen verpfuscht haben sollte mit den elenden Versen 143—148. Welche Stumpfheit des natürlichen Gefühls gehört dazu, eine damals bereits gar nicht mehr seltene Verletzung des äusseren decorum, wie das Herabsteigen des Adligen in die arena, auszugeben als eine Überbietung jener wahrhaft scheusslichen Unnatur, dass ein Mann, ein Priester des Mars, ‚segmenta et longos habitus et flammea sumit.' Weidnerus vero hos versus postea a poeta ipso additos esse putat, quod et cum eis, quae antecedunt, non cohaereant et repetitio nominis ‚Gracchus' offendat. Sed aestimationis norma, qua hos versus metiamur, ex ipsis satiris Juvenalianis nobis petenda est. Ut enim poeta in satira VIII post exemplum nocturni adulteri (v. 144) v. 183 sq. pergit:

‚Quid, si numquam adeo foedis adeoque pudendis / utimur ‚exemplis, ut non peiora supersint? / consumptis opibus vocem, ‚Damasippe, locasti / sipario, clamosum ageres ut Phasma Catulli.' ita hoc quoque loco sine ulla offensione contendit turpius quiddam esse virum eumque nobilem in arenam et scenam prodire quam viro nubere. Neque enim quidquam existimabatur flagitiosius quam ludis scenicis et gladiatoriis foedari, quibus poetae temporibus multi nobiles operam dederunt. cf. 4, 99 sq. 8, 191 sq. Heinrichius huius loci sensum subtiliter sic interpretatur in commentario suo p. 117: „Der Dichter urteilt als Römer. Die Würde der ersten Stände war ein Heiligtum des Staates und seine festeste Stütze; mit dem Wegwerfen dieser Würde und mit der öffentlichen Prostitution der ersten Stände und Geschlechter, von welchen das Beispiel ausging, war das Signal

[1]) l. c. p. 104.

zu einem Verderben ohne Rettung gegeben." Huc accedit, quod toti huic satirae parti gradatio subest; nam versibus 117—142 poeta in vitium parietibus domesticis inclusum et lucem fugiens invehitur, versibus, qui sequuntur, insectatur vitium non abditum sed in publicum prodiens. Quod vero de Gracco bis ut de prorsus alio sermo est, nullam offensionem mihi praebere videtur, cum poeta ut saepius non Gracchi vitium insectetur sed omnino hominum nobilium. Per Gracchum igitur poeta nobilissimum quemque intellegit, nominata vero familia Gracchorum, quae nobilitate et gloria ceteris praestabat, vitium eo turpius videri nemo non intelleget. Item nomine Gracchi poeta in octava satira v. 201 viros nobiles in arenam descendentes, item nomine Cretici v. 67 satirae secundae multicia induentes perstringit.

In tertiae satirae versibus 113—118 et interpretes et critici haerere solent. Rigaltius iam versum 113, quod ei orationis contextum interrumpere visus est, versui 115 postposuit. Sed tantum abest, ut hoc remedium prosit, ut difficultatem augeat. Sic enim descriptio facinoris ‚maioris abollae' male interrumpitur, id quod editores recentiores recte intellexisse videntur, cum nemo, quod sciam, exstiterit, qui cum Rigaltio fecerit. Pinzgerus[1]) et Heinrichius[2]) spurium eum iudicaverunt, cum descriptio, quae antecedit, languide concludatur hoc versu. Neque aliter censuerunt O. Jahnius (in editione altera 1868) et Ribbeckius.[3]) Teuffelius[4]) vero, quamquam versum illum sane languidum esse ‚nach der farbenreichen Zeichnung des Vorhergehenden" non negat, tamen eum, cum sit bene compositus et sententia satis apta instructus Juvenali non abiudicat, sed postea a poeta ipso eum appositum esse comprobare studuit his verbis: „Da aber der Vers doch wohl gebaut ist und für sich genommen auch einen guten Gedanken enthält, so halte ich für das Wahrscheinlichste, dass er ein nachträglicher Zusatz des Dichters ist, der diesen an sich vollkommen passenden Zug nicht weglassen wollte und ihn

[1]) Pinzger: de versibus spuriis et male suspectis in Juvenalis satiris. Vratislaviae, 1817 p. 9.
[2]) in commentario p. 140.
[3]) l. c. p. 120.
[4]) Mus. rhen. XX. p. 474.

doch mit dem schon fertigen und abgerundeten Zusammenhang nicht mehr vollständig auszugleichen vermochte." Equidem neque Teuffelio assentior neque Weidnero, qui versum 113 retinendum esse putat, cum eo eiecto versus, qui antecedat, explicatione careat. „Denn was soll das ‚resupinare aviam'?" Proinde quasi versus 113 ad versum 112 tantum ac non potius ad versus 109—112 referendus sit. Causam vero affere, cur Graeculi libidini inserviant, eo ineptius videtur, quod, quid petant illi, poeta iam supra v. 72 significavit, cum eos viscera magnarum domuum dominosque futuros appellat. Versus 113 non modo supervacaneus est sed etiam orationem inde a versu 100 usque ad versum 118 gradatim a minoribus vitiis ad maiora progredientem foede interrumpit. Quo vero modo glossema sit factum, facile est explicatu. Librarius quidam per errorem pro vera lectione ‚aviam' Pi auctoritate et scholiastae adnotatione (‚si fuerit anus, ad ipsam se convertit') satis munita leni mutatione posuit ‚AVLAM'. Qua lectione recepta cum ambiguum esset, utrum aula idem significaret, quod nos dicimus ‚Hof' an ‚Topf', ne quis in dubio esset, versum interpretamenti causa aliquis addendum putavit. Nam ‚scire volunt secreta domus' nihil aliud est nisi explicatio verborum ‚aulam resupinat amici', quae in codice aliquo explicantur hac glossa superscripta ‚revolvunt, quaecunque in domo sunt'. Heinrichius apte comparat huic elocutioni in nostra lingua „die Nase in alle Töpfe stecken." Summa igitur disputationis nostrae est haec: V. 113 originem duxit e lectione ‚aula' eiusque explicatio est. Sed transeamus ad versus, qui sequuntur, quos tribuatne interpolatori an postea a poeta ipso additos esse putet Teuffelius[1]) haeret, quamquam ad priorem illam sententiam magis inclinare videtur. Offendit ‚et quoniam coepit Graecorum mentio', proinde quasi casu quodum nunc demum in eorum mentionem inciderit poeta ac non iam antea latius de eis disputaverit. Ut scripserit ita Juvenalis, elocutionem huic loco minus aptam esse nemo negabit, quamquam, quid sibi velit poeta, luce clarius est. Sed cum non omnia, quae poeta composuit, quamvis egregius fuerit, perfecta omnibusque numeris absoluta sint, acquiescam in hac lectione.

[1]) Mus. rhen. XX. p. 474 sq.

Versus vero, qui sequuntur, Juvenalis maxime proprii sunt, qui, ubicunque datur facultas, res memoria dignas narrat neque verbis parcit. Teuffelius, qui elocutionem plus uno genere offensioni esse contendit, nodum in scirpo, ut aiunt, quaesivisse mihi videtur. Sed audiamus verba ipsa viri illius docti. Reprehendit „Die Unklarheit der Wendungen ‚transi gymnasia' und ‚facinus maioris abollae'. ‚Transire' hoc loco nihil aliud significare nisi ‚praeterire' pro certo affirmaverim, cum voces ‚maioris abollae' voci ‚gymnasia' oppositae sint et gradationem addant. Poeta per transitum ostendit exercitationes gymnicas damnandas esse, quarum usum a Graecis in urbem invectum iuventutem romanam enervavisse Plinius testatur: ‚Juvenes se exercendo et unguendo animi vires perdiderunt.' Voce ‚abolla', quod fuit pallium philosophicum, philosophi intelleguntur et apte huic elocutioni Heinrichius comparat in nostra lingua „die Herrn vom vornehmen Kragen, statt: die vornehmere Geistlichkeit". Scholiastes recte totum locum explicasse mihi videtur, cum dixit: ‚Praetermitte minora eorum vitia et veni ad maiora'. Reprehendit ille porro „die Bedeutungslosigkeit der geheimnisvollen Umschreibung der Heimat des Celer und die phraseologische Ausführung derselben". Equidem contra dixerim, rationem, qua Celeris patria circumscribitur, poetae maxime propriam esse, qui, ut erat rhetor a vestigio ad verticem, data facultate satiris suis fabulas ad orationem poetice ornandam summo studio intexuit et rebus aspersit, unde per omnes satiras exoritur plus minusve cum gravitas illa dicendi tum languida ac diffusa dictio. Qui exempla requirit, adeat Ribbeckium[1]). In ‚pinna caballi' per synecdochen pro ‚pinnatus caballus' non est, cur offendat Teuffelius, quippe quae elocutio Juvenalis maxime propria sit. cf. exempla, quae infra collegi pag. 31 sqq.

Veniamus nunc ad V satirae locum, ubi Teuffelius[2]) vestigia duplicis recensionis investigasse sibi visus est. De satirae illius versibus 92—102 hanc sententiam minime probabilem proposuit: „Auch Sat. V, 92—102 ist von dem neuesten Herausgeber nicht angefochten worden. Und doch scheint es mir ganz einleuchtend, dass hier zweierlei Variationen desselben Gedankens zu Tage liegen. Sowohl die ersten 7 als die darauf folgenden 4 Verse behandeln denselben Gegenstand, denselben Theil des Mahles, das Essen von Fischen, und zwar beidesmal von Seiten des dominus, des Virro, nur dass der kostbare Fisch, der ihm aufgetischt wird, das erste Mal ein mullus ist und nachher eine muraena. Was dagegen der arme Gast, was Trebius vorgesetzt bekommt, ist gegenüber von dem mullus nicht ausgeführt, sondern erst gegenüber der muraena, während doch sonst die ganze Schilderung fortwährend sich in diesem Kontraste bewegt und niemals sonst die Gegenseite auszuführen vergessen wird. Wenn hiernach die beiden Verscomplexe wesentlich das Gleiche enthalten, somit nicht neben einander bestehen und nicht ursprünglich neben einander gedichtet sein können, so fragt sich zuerst, ob beide von Juvenal sind und dann, im Falle der Bejahung, welche von beiden Fassungen die ältere, welche die spätere ist. Dagegen nun, dass sowohl V. 92—98 als 99—102 von Juvenal herrühren, wüsste ich keinen Beweis beizubringen." Teuffelius igitur ferculum, quod mullo respondeat, desiderat eoque magis, quod poeta accuratam ferculorum responsionem adhuc secutus sit. Sed in hoc virum illum doctum vehementer errasse nemo non libenter concedet, qui paullo accuratius perlegerit versus inde a versu 80. In primo ferculo squillae asparagis undique saeptae accurate respondet cammarus dimidio ovo constrictus, tum poeta pergit:

‚Ipse Venafrano piscem perfundit; at hic, qui pallidus affertur misero tibi caulis olebit lanternam'.

Sed quid accurate respondet pisci? Num caulis? Quid cauli? Frustra quaeras. Hoc igitur uno exemplo Teuffelii sententia imminuta id quoque, quod inde conclusit, ad nihilum recidit. Quid? quod meo quidem iudicio non solum non deest, quod mullo respondeat, sed tum demum desideratur aliquid, cum aut versus 92—98 aut 99—102 deleverimus. Prorsus neglexisse Teuffelius videtur non de vera cena posse cogitari, sed de ficta tantum, clientem, cui satira procedente (v. 19) nomen Trebius datur, non vere cenare, sed cenantem fingi; poetam sermone cum Trebio habito id tantum petivisse, ut, quam iniqua essent condicione quamque iustas poenas darent parasiti illi, quo in numero erat Trebius, demonstraret. Quare, cum de vera cena

[1]) l. c. p. 9.

[2]) Mus. rhen. XX. p. 475 et adnotationes ad translationem p. 204.

non possit cogitari, nemini mirum videbitur, eundem cibum bis apponi, in quo maxime haeret Teuffelius. Neque vero de mullo et muraena una appositis cogitandum esse sed potius de mullo aut muraena apparet ex particula ‚aut' (v. 104). Quid multa? Poeta, qui singula fercula singulis adhuc opposuit, hoc loco bina binis opponit: piscibus, qui sunt vel mullus vel muraena, magno pretio emptis et Virroni appositis vilem anguillam aut Tiberinum maculis aspersum, quae manent Trebium.

Satirae VI versibus 178—183 eadem fere contineri, quae versibus 162—171 dicta sunt, Ribbeckius[1]) primus recte intellexit. Poeta enim inde a versu 162—171 haec disserit: Nulla exstat mulier, quae ab omni parte perfecta sit. Nam licet omnibus virtutibus et animi et corporis instructa sit, uno tamen vitio laborabit, quod omnibus illis bonis praeponderabit, superbia. Mores mediocris mulieris plerumque faciliores sunt quam potentis et nobilis matronae, quae gloriam et nobilitatem maiorum suorum iactat. Mulier Apula plerumque potior est quam Romana quamvis nobili genere nata, qualis fuit Cornelia Gracchorum mater. Tum poeta, postquam Niobes exemplo quantam machinari possit perniciem uxor superba demonstravit, v. 178 ad eandem, quam supra pronuntiavit, sententiam revolvitur: intolerabilius nihil esse quam uxorem superbam, quae, quamvis honesta et pulchra sit, tamen plus aloes quam mellis maritis afferat. Quid? quod singula quaeque quomodo bis expressa sint, accurate persequi possumus. Verba ‚quae tanti gravitas, quae forma' idem fere significant, quod verba ‚sit formosa, decens'; nullum certe discrimen intercedit inter ‚huius rari summique boni voluptas' et ‚rara avis in terris nigroque simillima cygno'; verbis denique ‚animo corrupta superbo' idem dicitur, quod verbis ‚si cum magnis virtutibus affers grande supercilium'. Quibus causis ductus Ribbeckius versus 178—183, ‚pannum ad tragicum Niobes exemplum adsutum', quo gravitas totius loci misere infringatur, ex pusillanimi rhetorum discipuli officina profectos esse putat. Sed huic Ribbeckii sententiae nullo modo assentior. Quamquam illis prioribus palmam tribuendam esse, si illos et hos inter se comparaveris, non audeo negare, tamen, cum nihil abhorreat a

[1]) l. c. p. 172.

Juvenalis genere dicendi, non video, cur eos Juvenali abrogem, neque recte Ribbeckius iudicasse mihi videtur, balbutientem tironem hos versus prodere, qui si ita scripsisset non balbutiret sed dignus esset, qui Juvenalis alter nominaretur. Neque tamen Teuffelius assentientem me habet, qui de versibus 178—183 haec scribit[1]): „Ich glaube daher, dass auch hier der gleiche Fall ist, wie I, 73 ff. V, 92 ff, dass wir nämlich 2 Versionen des gleichen Gedankens vor uns haben, von denen die eine (hier sicherlich die zweite) vom Dichter zum Wegfall bestimmt war." Verbositatem, quae versibus 178—183 retentis exoritur, Juvenalis maxime propriam esse inter omnes, qui paullo accuratius satiras eius perlegerint, satis constat. Persaepe fit, ut poeta, qua est arte rhetorica, cuius vestigia ubique apparent, sententias, quas tetigit, omnibus rhetorum artificiis adhibitis longius quam pro satirarum concinnitate persequatur et identidem ad eandem rem iam absolutam revolvatur quasi ad augendam vim orationis. Aestimationis igitur norma ex satiris ipsis et poetae indole repetenda est. Eadem de causa Teuffelio non assentior, qui de versibus eiusdem satirae 582—584 et 589—591 sic iudicat[2]):

„Auffallend ist, dass der Circus abermals genannt wird; überhaupt unterscheidet sich Vers 589—591 von V. 588 materiell so wenig, dass man auch hier an eine doppelte Recension denken möchte, sodass die 3 Verse, ursprünglich eine Variante zu den drei 582 - 584, neben ihnen sich erhalten hätten und an den Schluss des Abschnittes angefügt worden wären." Quodsi in sanando loco aut Ribbeckium aut Teuffelium sequeremur, Juvenalis speciem a se prorsus alienam indueret. Nam eodem iure postularem, ut eiusdem satirae par argumentum versuum 557—561 et 562—564 duplicis recensionis ratione explicaretur. Nam perlegamus modo hos versus paullo accuratius, facile intellegemus sententiam: quanto scelestior fuerit astrologus, tanto maior ei habebitur fides a muliere, bis esse expressam affinibus vocabulis et una quadam parte horum versuum remota nihil ad sensum plane necessarium desiderari. Versus, qui est ‚nemo-habebit', idem iudicium negative pronuntiat, quod affirmative

[1]) adnotationes ad translationem p. 216.
[2]) Mus. rhen. XX p. 476 sq. et adnotationes ad translationem p. 226.

,praecipuus-exul'; verba vero ,non indemnatus' idem significare, quod ,sonuit-mansit', nemo non intelleget. Neque etiam deest, quo circumscribitur vox ,exul'; nam cum exules in Cycladas, quarum sunt Seriphus et Gyarus (I, 73), imperatorum Romanorum temporibus saepe missos esse satis notum sit, patet hoc loco ad vocem ,exul' circumscribendam potius loca esse posita, quo exules mitti solebant. Sed haec sufficiant, ut eandem sententiam hoc loco bis expressam et unam quandam horum versuum partem sine sensus damno omitti posse demonstrem. Nihilominus ad Teuffelii remedium ne hoc quidem loco confugerim, sed dicendi abundantiam ex Juvenalis indole potius explicaverim. — Fuit tempus, cum ipse in XIII satira exemplum manifestissimum amplificationis a poeta ipso institutae invenisse mihi viderer, et si etiam nunc rationem duplicis recensionis sequerer, facere non possem, quin aut versus 38—70 aut 70—120 postea a poeta insertos esse putarem, cum argumentum eorum tam simile sit, ut ovum ovo similius esse non possit. Ut paucis comprehendamus, quae poeta disputat, sunt haec: Poeta studet consolari Calvinum quendam vehementer dolentem, quod amicus eum defraudaverit pecunia mutua sumpta. Etiamsi is, qui iniuriam fecerit, ab iudice improbo absolvatur, tamen animi conscientiam, qua stimuletur, ab illo poenas iustas persequi. Solacium praebere et amicos, qui misericordia moveantur, et damni exiguitatem, quo tam multi afficiantur. His ad consolandum argumentis, quae infra accuratius explicantur, prooemio generatim et universe allatis inde a versu 19 ad rem ipsam transit et duas esse res dicit, ex quibus nobis percipienda sit consolatio: philosophiam et rerum usum. Hunc nos docere nullum diem tam festum esse, quo non scelera detegantur, nunc agi peiorem aetatem peioraque saecula ferri temporibus, quorum sceleri natura nomen non invenerit. Eum senem infanti similem esse, qui nesciat, ,quas habeat veneres aliena pecunia' et postulet, ne quis peieret et putet numen esse divinum ullum. Aetatem, qua boni mores et fides viguerint, effluxisse, probitatem nusquam videri (— 70). Tum poeta aliud consolandi argumentum affert: hoc damnum prae aliis leve esse et facile resarciri posse. Hanc disputationem interrumpit poeta versibus 75—120 et revolvitur ad ea, quae iam antea pluribus verbis persecutus est: omnem probitatem

evanuisse neque quemquam inveniri, qui peierare dubitet. Alios enim deos esse negare, alios deos quidem esse putare, sed poenas minoris aestimare quam nummos, alios lentam esse iram deorum, alios denique deos ignoscere et exorari posse existimare. Pios et probos homines a deis illos quidem petere, ut pravis moribus et communi illorum corruptelae resistant; hos vero rogantibus deesse, ita fieri, ut deorum opes contemnantur. Hac disputatione ad finem perducta poeta ad alterum illud argumentum, quod iam supra (v. 70) leviter tetigit, redit et ita pergit, ut nihil intermissum esse videatur. Tantum enim abest, ut poeta tot versibus intermissis legentium animos ad memoriam causae, quam sibi proposuit, revocet, ut illius mentione non facta inde denuo incipiat orationem, unde aberravit, proinde quasi in legentium animis haereat, quid sibi velit poeta. Quamquam totam disputationem versibus aut 38—70 aut 75—120 remotis planiorem et magis perspicuam evadere non nego, tamen ad Teuffelii rationem confugere dubitaverim. Quorsus haec? Ut demonstrem Teuffelium sagacius quam verius iudicasse, quippe qui sententias bis expressas manifestissimum duplicis recensionis testimonium esse contenderit. Repetitio eiusdem sententiae minime certum sincerumque indicium mihi esse videtur, quo cognoscere possis duplicem recensionem, cum ex indole Juvenalis sit pluribus enuntiatis eandem semper rem parvis cum mutationibus proferre aut, si aberravit oratio, ad propositum redire et ita redire, ut ,ab ovo', ut ita dicam, oratio initium capiat, proinde quasi poeta non meminerit, iam antea eadem de re sermonem fuisse.

Satirae VII. versum 181 supervacaneum esse omnes fere recentiores editores consentiunt. Heinrichius[1]) additamentum interpolatoris cuiusdam eum esse pro certo habet eiusque sententiam et O. Jahnius (in editione altera) et Ribbeckius[2]) probaverunt. Weidnerus vero haeret, utrum interpolatoris an a Juvenale ipso postea appositum eum esse putet. Sed haec sententia mihi minime probabilis videtur neque adduci possum, ut Juvenalem tam languidum versum fecisse credam. Ineptum vero esse versum illum nemo negabit, qui orationis contextum paullo accuratius perspexerit. Poeta enim versibus, qui ante-

[1]) in commentario suo p. 305.
[2]) l. c. p. 131.

cedunt, haec fere disserit: tantum abesse, ut nobiles dicendi magistris mercedem debitam solvant, ut omnem rem familiarem dissipent exstruendis balneis vel porticibus, quibus a pluvia tuti sint, si eis libeat curru vehi. Neque eis placere exspectare, dum redeat serena tempestas, neque iumenta luto recenti spargi eos velle. Tum poeta interrogationi, quae antecedit, respondens sic pergit: ‚hic potius namque hic mundae nitet ungula mulae.' Sed quid haec responsio? Nonne interrogatione ista ‚anne serenum exspectet spargatque luto iumenta recenti' responsio ipsa continetur? Responsio igitur plane supervacanea est. Quare, quamquam Juvenalem saepe summa esse loquacitate negari non potest, tamen responsionem, qua nihil nisi idem, quod iam dictum est, continetur ei vindicare dubitaverim. Quod vero Teuffelius[1]) suspicatur versum illum ei esse tribuendum, qui responsionem aliquam desideraverit, sane probabile est.

Eiusdem satirae v. 214 a nullo antea in dubium vocatus ne a Ribbeckio quidem, qui tam acriter egit in versibus Juvenali abrogandis, Weidnero vel interpolationem vel alteram recensionem a poeta ipso institutam redolere videtur. Sed causae, quas profert vir ille doctus, vanae atque irritae sunt et nullo negotio convelli refutarique possunt. Ac primum quidem offendit Weidnerus in repetitione nominis Rufi, quae quidem Juvenalis generi dicendi ut rhetorico maxime conveniens sit, sed hoc loco ferri non possit, cum interpositum sit ‚alios et quemque'. Equidem potius sic dixerim: cum ‚alios' et ‚quemque' intersit, repetitio plane necessaria est, ne quis, quo referatur ‚quem', in dubio sit. Quod autem dicit Weidnerus paullo durius esse ex eo, qui antecedit, versu supplere ‚sua quemque inventus' equidem in eo non haeserim, cum nemini hoc loco dubium esse possit, quid sit nomen subiectum cumque apud Juvenalem omissionibus multo audacioribus occurras. cf. 6, 235. 247—248. 521. Non quod desideraverunt nomen subiectum, sed quod totum hunc locum minus recte intellexerunt, librarii lectionem ‚quem' optimi codicis auctoritate satis munitam in ‚qui' mutasse mihi videntur, quod Heinrichius et Weberus falso in textum receperunt. Neque enim, ut voluerunt viri illi docti, Rufus Ciceronem Allobroga,

[1]) adnotationes ad translationem p. 244.

quasi eius dictio inflata fuerit ut Allobrogum, dixisse putandus est; nam si Rufus ea fuisset immodestia atque impudentia, iuventutis praeceptorem caedentis factum levius et minus iniustum videretur. Atqui poeta hoc loco id maxime agit, ut iuventutem, quae tum fuerit, improbissimam magisque impiam esse appareat quam iuventutem veterum temporum. Ergo lectio, quae est ‚quem', sola probanda est, qua in textum recepta hic fere sensus toti huic loco subicitur: iuvenes ne a Rufo quidem manus abstinuerunt tam honorato, ut eum propter merita et virtutem saepissime Ciceronem Allobroga — nam Rufus erat Allobrox — nominaverint. Hoc igitur versu efficitur, ut iuvenum factum etiam gravius videatur, qui eum ipsum, quem prius maxime coluerunt et dilexerunt, caedere non dubitant et hanc ipsam ob causam non satis intellego, quo iure Weidnerus hoc loco de duplici recensione vel interpolatione cogitaverit.

De versibus 4—8 satirae VIII., qua poeta eos insectatur, qui maiorum suorum nobilitate confisi nimis se iactitant, cum ipsi nihil suae virtutis ostendant, maxime variae sunt sententiae virorum doctorum et discrepantes; sed omnes, qui de hoc loco disputaverunt, corruptelam in eo inesse consentiunt. Rupertius praeeunte Juvenco versu septimo eiecto omnes difficultates tolli putavit, cui maxime Heinrichius, Jahnius, Teuffelius assensi sunt. Huius versus patrocinium acerrime susceperunt Lipsius[1]), Handius[2]), Doederlinus[3]). Pinzgerus[4]) duos codices secutus versum 7 ante 5 poni iussit, qua transpositione locus minime sanatur.[5]) C. Fr. Hermannus[6]), ut versum 7 retineret, versus 5 et 6 spurios esse comprobare conatus est. Ribbeckius[7]) versus 4—8 eicere maluit quam corrigendo nihil proficere. „Klarheit wird gewonnen, wenn wir von 4—8 einen scharfen Schnitt thun und diesen bereits von anderen aufgegebenen Lappen lieber ganz entfernen, statt in doch vergeblicher Anstrengung stückweise

[1]) epp. quaest. IV, 15.
[2]) ad Stat. silv. I. p. 206.
[3]) Synon. IV., 202.
[4]) l. c. p. 15 sq.
[5]) cf. Hermann. in Mus. rhen. VI, 454 sq.
[6]) l. c. p. 454 sq.
[7]) l. c. p. 95 sq.

daran herumzubessern." Paldamus[1]) denique, id quod ad nostram quaestionem pertinet, suspicatur versum 7 a poeta ipso esse compositum, postea vero ab eodem deletum. Praeterquam quod difficile est intellectu, quo modo versus a poeta deletus nihilo minus in novam editionem irrepserit, Juvenali eum ut tribuam, nullo modo possum adduci, cum quodvis fere verbum in eo suspectum sit. Cur unus Corvinus ex eis, qui antecedunt, hominibus nobilibus repetatur, non liquet. Virga quid sibi velit, perobscurum est: dubitari enim potest, utrum intellegantur rami in tabula genealogica discurrentes, ut Weberus et Orellius voluerunt, tum pro verbo ‚contingere' scholiorum lectione probato potius ‚deducere' ponendum erit, quod Schegkius ad Vell. Paterc. I., 13 citat; an scopae, quibus imagines fuligine obsitae extergentur, an denique, ut e verbo ‚contingere' apparere videtur, bacillum, quo gloriosus maiorum iactator imagines monstravit. Sed praeterquam quod haec sententia plane absurda mihi videtur, proinde quasi nobilis homo ipse monstrando operam dederit, adiectivum ‚multa' maxime offendit, quod scholiastes falso explicavit ‚multis fascibus, dignitate' et ad proximi versus imperatores rettulit. Vocem vero ‚posthac' molestissimam esse et tantum valere ad versum explendum nemo negabit. His causis ex versus illius verbis ipsis allatis aliae quaedam extrinsecus, ut ita dicam, sumptae addi possunt, quibus spurium eum esse non minus comprobatur. Ac primum quidem in codicibus aliquot versus ille non exstat, quod quidem perlevis momenti duco, cum in ipso Po complures versus non inveniantur, quibus carere non possis, deinde variant codices inter Corvini et Fabricii nomen, tum in codicibus versus ille certum quendam locum non habet, sed in aliis ante versum 5, in aliis post versum 6 est positus. Et quisquam dubitabit, quin versus ille, qui gravissimas offensiones praebet et plus uno genere suspectus est, interpolatoris cuiusdam sit additamentum? Atque quod Heinrichius[2]) suspicatur versum illum originem duxisse ex ‚fumosos' proximi versus, maximam probabilitatis speciem prae se fert et sane cogitari potest vel librarium vel alium quendam, cui cum imagines extergere magno honori esse videretur nobilibus, miserum

[1]) Zeitschrift für Altertumswissenschaft 1838 p. 1144.
[2]) in commentario suo p. 316.

illum versum composuisse. Reliquos cur eiciamus non est, cum versu 7 eiecto omnia bene se habeant.

In eiusdem satirae versu 147 codices variant inter duo haec nomina: ‚Lateranus' et ‚Damasippus'. Lectionem ‚Lateranus' optimus codex Pus a prima manu et scholia in lemmate praebent; Pus codex a manu secunda et interpolati aliquot codices exhibent lectionem ‚Damasippus'. Scholia ad versum 167 praebent ‚Lateranus sive Damasippus'; eadem ad versum 179, ubi etiam de optimorum codicum Laterano agitur, addunt ‚Damasippus scilicet'. Omnes recentiores editores Rupertio et Achaintrio exceptis, qui lectionem ‚Damasippus' receperunt, ne paullum quidem dubitaverunt, quin lectio ‚Lateranus' sit praeferenda, cum non intellegerent, cur hoc loco de optimi codicis auctoritate aliquid derogarent. Et hanc lectionem solam probandam esse docet versus 185, ubi de Damasippo non ut de auriga, sed ut de nebulone et comoedo sermo est; duobus igitur locis Damasippus ut prorsus alius inducitur. Quo vero modo est explicanda varietas illa lectionum? Heinrichius primum de duplici recensione cogitavit, ita ut poeta postea lectionem ‚Damasippus' substituerit priori illi ‚Lateranus'; deinde vero, cum explicationem illam paullum claudicare videret, hanc proposuit[1]): „Der heilige Name schien den Mönchen entweiht in einer so profanen Verbindung und Lateranus wurde mit Damasippus vertauscht." Teuffelius[2]) autem priori illi Heinrichii sententiae assensus sic disserit: „Da wir schon vielfache Spuren einer doppelten Recension der juvenalischen Satiren gefunden haben, so dürfen wir eine solche auch in dieser merkwürdigen Verschiedenheit erkennen, wobei zweierlei denkbar ist: entweder dass der Satiriker zuerst den richtigen Namen (Lateranus) schrieb und ihn später aus Rücksichten durch den halb appellativischen (Damasippus) ersetzte oder umgekehrt, dass er zuerst bei Lebzeiten des Betreffenden ‚Damasippus' schrieb und ihn erst später mit dem eigentlichen vertauschte. Gehört Lateranus wirklich der Zeit des Nero an (170), so wäre das Erstere wahrscheinlicher." Equidem huic explicationi assentiri non possum, propterea quod longe repetita esse mihi videtur, neque deest alia

[1]) in commentario p. 330.
[2]) adnotationes ad translationem p. 260.

quaedam simplicior ratio, qua varietas illa lectionum satis explicetur. Puto enim Juvenalem nihil aliud nisi ‚Lateranus' scripsisse, tum vero librarium quendam, cui, cum de auriga hoc loco sermo sit, nomen ‚Damasippus' aptius videbatur — nam ‚Damasippus' nihil aliud significat nisi aurigam — hoc nomen illi substituisse. Et Damasippi nomen interpolationem esse librarii cuiusdam, non mutationem a poeta ipso factam vel inde satis apparet, quod in interpolatis tantum codicibus id exstat. Profecto enim, si nomen Laterani in nomen Damasippi a poeta ipso esset mutatum, singulariter accidisset, ut prior illa lectio optimis codicibus, interpolatis altera ad nos propagaretur. De duplici igitur recensione hoc loco nullo modo cogitari potest.

In IX satira, in qua Naevolus et interlocutor quidam inter se colloquuntur, libidinosus ille homo spurcissimis ac foedissimis secretis communicatis ab hoc petit, ut taceat; sed hic illi roganti respondet, etiamsi ipse sileat, tamen a servis domini rem in vulgus efferri. Haec disputatio concluditur his sex versibus (118—124):

‚Vivendum recte est cum propter plurima tum vel / idcirco ut possis linguam contemnere servi. / Praecipue cave sis, ut ‚linguas mancipiorum / contemnas; nec lingua mali pars pessima ‚servi; / deterior tamen hic, qui liber non erit illis, / quorum ani‚mas et farre suo custodit et aere'.

Criticorum iudicia maxime variant de his versibus. Versum 119, quem interpolati aliquot codices falso post v. 122, Pus et Monacensis quidam recte post v. 118 ponunt, spurium iudicaverunt Pithoeus et Heinrichius[1]); versus 119. 124. 125 spurios censuit Pinzgerus;[2]) versus 120—123 eiciendos putavit Jahnius (in editione altera). Ribbeckius[3]) sic iudicat de his versibus: „Geholfen aber ist nicht eher, als bis man sich entschliesst, den ganzen Lappen wegzuschneiden. — Und so haben wir in diesen 3 Distichen vielleicht die Produkte von 2 oder 3 verschiedenen mit einander wetteifernden Verfassern.“ Teuffelius[4]) denique

[1]) in commentario p. 373.
[2]) l. c. p. 11 sq.
[3]) l. c. p. 112 sq.
[4]) Mus. rhen. tom. XXI p. 155 et „Verhandlungen der Heidelberger Philologenversammlung“ p. 167.

hanc sententiam de his versibus protulit: „Mit Recht sagt Ribbeck, dass hier zwei parallele Versuche, denselben Gedanken auszudrücken, vorliegen. Teil eins (v. 118—119) zieht aus den dargelegten Thatsachen die Lehre, dass man also recte vivere müsse schon aus dem Grunde, damit man über das Gerede der Sklaven sich hinwegsetze, es damit leicht nehme. Wenn sonach Teil eins das ‚contemnere linguas servorum' als Ziel des Strebens hinstellt, Teil zwei vor demselben warnt, so erhellt, dass beide Teile einander ausschliessen und unmöglich derselben Bearbeitung angehören können.“ Ut in syllogismi formam redigamus, quod Teuffelius concludit, est hoc: Poeta iubet et vetat mancipiorum linguas contemni; atqui poetam eodem loco idem iussisse et vetuisse non putandum est, ergo altera horum versuum pars delenda est. Sed cum sumptio falsa sit, id quoque, quod concluditur, verum esse non potest. Fugit enim virum illum doctum verbum contemnendi aliud significare priore loco aliud altero. Illo subicitur verbo contemnendi notio ‚non timendi' („hinwegsetzen“), hoc notio ‚parvi aestimandi'. Itaque verborum contextus est hic: Recte vivendum est ob eam potissimum causam, ne quis servos garrulos timere cogatur. Atque cave linguas mancipiorum parvi aestimes, ‚nam lingua mali pars pessima servi' est. Tum pergit Teuffelius: „Welches ist nun aber die bessere und daher ohne Zweifel vom Dichter selbst vorgezogene und spätere Fassung? Sicherlich die an erster Stelle stehende V. 118 und 119. Dass dem so sei, ergiebt sich teils aus der prägnanten Kürze und vollkommenen Untadeligkeit dieser Fassung, teils aus V. 124, teils endlich aus der Fehlerhaftigkeit der gegenüberstehenden Redaktion. In V. 124 erwidert nämlich Naevolus: ‚Utile consilium modo sed commune dedisti.' Dieser nützliche, aber nur zu allgemeine Rat kann nur der mit den Worten ‚vivendum est recte' gegeben sein. Das Weitere enthält zwar auch einen Rat (nämlich cave sis contemnas u. s. w.) und zwar einen, der sich allenfalls auch als nützlich bezeichnen lässt, um so weniger aber als allgemein. Wollte hiernach der Dichter selbst sicherlich seinen Vers 124 unmittelbar an V. 119 anschliessen, so erweisen sich V. 120—123 als zum Wegfall verurteilt auch durch ihre Mängel.“ Quo iure Teuffelius contendere potuerit verba ‚utile consilium modo sed commune

dedisti' referenda esse ad consilium versibus 118—119 datum, non ad praeceptum, quod contineatur versibus 120—123, non intellego, proinde quasi praeceptum his versibus datum minus commune sit quam illorum (118—119). Mihi quidem poeta et versibus 118—119 et versibus 120—123 consilium dedisse videtur omnibus dominis servos alentibus. Ut verum sit, quod Teuffelius contendit, versum 124 non apte coniungi cum versu 123, sed melius cum versu 119, sequitur eum quoque una cum versibus 118—119 a poeta postea additum esse. Ita Naevoli oratio in priore recensione a versu 125 incepisset; aut pro versu 124 in priore recensione alius positus erat, quem non servatum esse maxime mirum videtur. Quae cum ita sint, cum argumenta, quibus Teuffelius nisus duplicem recensionem hoc loco investigasse sibi visus est, vana atque irrita esse apparuerit, sententia eius satis refutata est. Sed valde dubitari potest, num versus 120—123, qui eandem fere sententiam quam antecedentes parva cum mutatione pronuntiant et, siquidem multo languidiores sunt quam illi (118—119), vim ac pondus eorum misere infringunt, a Juvenale profecti sint.

Iam vero hac disputatione ad finem quendam perducta, reliquum est, ut, quae invenisse nobis videamur, paucis comprehendamus. Examinatis igitur sententiis virorum doctorum, qui vestigia amplificationis vel mutationis a poeta ipso factae investigasse sibi visi sunt, satis apparet ea, quae leguntur in Juvenalis vita IV, poetam ipsum ampliasse satiras et pleraque mutasse certis exemplis comprobari non posse. Nam quae argumenta duplicis recensionis Teuffelius statuit, et sententia bis expressa et oratio interrupta, si paullo accuratius consideraveris, vana atque irrita reperiuntur, propterea quod vir ille doctus et verborum contextum non recte intellexit et elocutionem Juvenalis propriam parum respexit, semel etiam, unde nata sit lectionum varietas, falso explicavit. Sed haec hactenus.

II.

De syntaxi casuum Juvenaliana.

Kuehner: Ausführliche Grammatik der lateinischen Sprache II.
Draeger: Historische Syntax der lateinischen Sprache. I. Syntax und Stil des Tacitus.
Bach: Die Lehre von dem Gebrauche der Casus in der lateinischen Dichtersprache.
Lupus: Der Sprachgebrauch des Cornelius Nepos.
Kuehnast: Die Hauptpunkte der livianischen Syntax.
Holtze: Syntaxis Lucretianae lineamenta.
Vogel: Kurze Übersicht über den Sprachgebrauch des Curtius Rufus.
Seelisch: De casuum obliquorum apud Valerium Maximum usu Liviani et Taciteі dicendi generis ratione habita. Diss. inaug. Monast. 1872.
Ebeling: De casuum usu Horatiano. Progr. gymn. Wernigerode 1866.
Antoine: De casuum syntaxi Vergiliana. Paris 1882.
Streifinger: De syntaxi Tibulliana. Diss. inaug. Wirceburgi 1881.
Georges: De elocutione Velleii Paterculi. Diss. inaug. Lipsiae 1877.
Lange: Zum Sprachgebrauch des Velleius Paterculus. Progr. gymn. Putbus 1878.
Overholthaus: Syntaxis Catullianae capita duo. Diss. inaug. Gotting. 1875.
Opitz: De latinitate L. Annaei Senecae. Progr. gymn. Numburg 1871.

De Genetivo.

Priusquam ad rem ipsam accedamus, paucis explicandum videtur, quo ordine materiam disponendam esse putaverim. Ac

primum quidem disseram de genetivo, qui pendet ex substantivis vel vocibus substantivorum loco usurpatis, deinde de genetivo, qui ad notionem supplendam adiectivis adiunctus est, tum de genetivo ex verbis apto.

I. De genetivo ex substantivis apto.

A. De genetivo appositivo vel epexegetico.

Haud raro fit, ut substantivis aliae voces, quibus explicantur vel terminantur, casu genetivo adiungantur, qui usus est vetustissimus. Cuius genetivi exempla apud Juvenalem reperiuntur haec:

3, 192 proni Tiburis arce, cui conferas Horatianum illud ‚Tibur supinum'. O. 3, 4, 22. 6, 71 exodio — Atellanae. 109 acre malum semper stillantis ocelli. 123 titulum mentita Lyciscae. 493 flexi crimen facinusque capilli. 7, 82 carmen — Thebaidos. 10, 31 rigidi censura cachinni („Rüge, die in strengrichtendem Gelächter besteht.") 11, 86 titulo-consulis. 13, 6 fidei violatae crimine. 51 vulturis atri poena. 74 ‚patulae-angulus arcae' per circuitionem dictum pro ‚arca'. 14, 216 maturae mala nequitiae. Eodem pertinet mira quaedam audacia loquendi, quam deprehendimus 10, 199, ubi poeta senectutis molestias describens nares senum ut infantium semper stillare his verbis dixit: ‚madidique infantia nasi' i. e. „Kindheit, wie sie sich äussert in einer feuchten Nase."

Notentur porro hoc loco exempla circuitionis illius apud Graecos celeberrimae, qua loco adiectivi substantivum ponitur, quod genetivo casu accuratius explicatur. Sunt haec: 1, 10 ‚unde alius furtivae devehat aurum pelliculae', idem significans, quod Catullus ‚auratam pellem' vocat. 140 istas luxuriae sordes i. e. luxuriam sordidam. 3, 19 quanto praestantius esset numen aquae. Sic scripserim cum Webero, qui hanc lectionem codicibus aliquot servatam recipiendam esse statuit. Eandem hanc lectionem in Po quoque, qui tantun prae /// /// /// /// exhibet, sub rasura latere nuper Beerius[1]) collatione accurate instituta

[1]) Spicilegium Juvenalianum. Lipsiae 1885 p. 35.

suspicatus est. Nihilominus vir ille doctus lectionem ‚praesentius' recipiendam esse putat.[1]) Sed melius lectio ‚praestantius' in sensum totius huius loci quadrare mihi videtur. Poetae enim, quantum ex verborum contextu apparet, dicendum erat fontem, si in natura sua mansisset neque marmore incrustatus esset i. e. arte corruptus ac violatus — artificio enim natura quodammodo violatur — pulchriorem et excellentiorem futurum fuisse. Retinendum est igitur ‚praestantius' et ‚numen aquae' eodem modo explicandum, quo exempla a me allata, ita ut ‚numen aquae' nihil aliud significet nisi ‚fons divinus'. Bene Bahrdtius huius loci sensum reddidisse mihi videtur, cum verteret: „O wie weit göttlicher wäre diese Quelle!" — 118 ‚pinna caballi' per synecdochen pro ‚pinnatus caballus.' 304 fixa catenatae siluit compago tabernae i. e. taberna catenis fixa et compacta. 4, 6 quanta nemorum vectetur in umbra i. e. in quam umbrosis nemoribus. 39 Adriaci spatium admirabile rhombi i. e. rhombus mirae magnitudinis. 72 patinae mensura i. e. patina satis magna. 5, 9 iniuria cenae i. e. iniuriosa cena. 11 sordes farris i. e. sordidum far. 56 flos Asiae. Similiter apud scriptores Graecos ἄνθος. 153 scabie frueris mali i. e. malo scabioso. 6, 40 ‚mullorum iubis' per synecdochen pro ‚mullis iubatis'. 504 breve parvi lateris spatium i. e. parvam figuram. 8, 226 Graiaeque apium meruisse coronae i. e. coronam Graiam ex apio factam, qua victores in ludis Nemeis coronari solebant. 10, 75 secura senectus principis. 207 inguinis aegri canities. 304 prodiga corruptoris improbitas. 12, 32 prudentia cani rectoris. 90 omnes violae colores i. e. violas varias. — Quater Juvenalis casui genetivo subiungit nomen proprium: 4, 107 Montani quoque venter adest; facete, quasi homo ille ventre tantum constitisset. 81 Cripsi iucunda senectus. 13, 184 mite Thaletis ingenium. 214 Albani veteris senectus. De usu Horatiano cf. Ebeling l. c. p. 20.

Adiectivi usum pro genetivo frequentissimum et hoc loquendi genus poetis et Graecis et Latinis valde usitatum esse vix opus est dicere. Rarior est usus genetivi pro adiectivo velut 2, 111

[1]) l. c. p. 64.

hic turpis Cybeles-libertas pro ,Cybeleia libertas i. e. qualis esse solet in sacris Cybeleis, nisi forte cum codice aliquo ,hic turpis Cybele est' scribas. Similiter genetivus pro adiectivo positus est 2, 155 Cremerae legio, cui simili occurras in nostra lingua, ubi emphasi quadam ,das Heer der Katzbach' dicas. cf. Liv. 23, 43, 4 si Trasumenni quam Trebiae, si Cannarum quam Trasumenni pugna nobilior esset.

B. De genetivo possessivo et auctoris.

Omnes locos, quibus poeta genetivum huius generis posuit, colligere nihil aliud est nisi ligna in silvam ferre. Itaque mihi proposui eum tantum tangere loquendi usum, quem cum poetarum tum Juvenalis repperi proprium ac peculiarem. Nostrum vero in huius genetivi usu saepius maiorem libertatem sibi vindicasse quam in oratione pedestri haud scio an cuiquam concedam, hi loci probent:

1, 56 tot bellorum animae i. e. animae virorum bello caesorum. 3, 217 aliquid praeclarum Euphranoris et Polycliti. 4, 74 miserae magnaeque pallor amicitiae („verursacht durch"). 10, 107 impulsae praeceps immane ruinae („der schreckliche Sturz in den jähen Abgrund") cf. Stat. Silv. I, 4, 51 subiti praeceps iuvenile pericli. 12, 120 tragicae furtiva piacula cervae. 15, 96 longae dira obsidionis egestas („Mangel infolge einer langen Belagerung"). Interdum genetivus locum significat, ubi quid est vel fit, velut 1, 53 mugitum labyrinthi. 9, 21 Ganymedem Pacis i. e. in templo Paci sacrato. 13, 245 nigri carceris uncum aut maris Aegaei rupem. Haud scio an huc pertineat genetivus velut 3, 13 sacri fontis nemus i. e. nemus cum sacro fonte.

C. Genetivi qualitatis eodem modo atque plerumque apud alios scriptores nominibus appellativis et semper quidem cum attributo coniuncti adduntur, ut qualitas, quae homini vel rei tribuitur, accuratius exprimatur. Exempla sunt haec:

3, 47 calicem nasorum quattuor. 6, 49 capitis matrona pudici. 590 delphinorumque columnas i. e. columnas specie delphinorum. 10, 296 filius — corporis egregii. 11, 74 odoris mala recentis. 153 ingenui vultus puer ingenuique pudoris. 13, 148 pocula adorandae robiginis. 15, 23 vacui capitis populum.

Genetivi qualitatis nominibus propriis appositi exempla afferre sufficiat haec:

3, 94 eiusdem — Acilius aevi. 10, 125 conspicuae, divina Philippica, famae.

Genetivus qualitatis et adiectivum coniunguntur his locis: 9, 29 pingues lacernas — duri crassique coloris et male percussas. 31 tenue argentum venaeque secundae.

Accedunt hae locutiones minus usitatae: 3, 4 ,gratum litus amoeni secessus', pro quo scriptori prosario sic fere dicendum erat: gratum litus, quod amoenum secessum praebet. 3, 48 exstinctae corpus non utile dextrae. Sic Pus. Jahnius, qui auctoritatem illius codicis secutus in priore editione ,exstinctae — dextrae' scripsit, in altera, cum genetivus explicari non posse videretur, Marklandii sententiae in adnotationibus ad Stat. Silv. p. 95 propositae assensus lectionem ,exstincta — dextra' in textum recepit. Sed recte monet Heinrichius (in comment. p. 129 sq.) nullo modo explicari posse, unde sit factum, ut pro lectione ad intellegendum aperta ,exstincta — dextra' in omnes fere eosque optimos codices lectio ,exstinctae — dextrae' irreperet. Itaque in lectione Pi acquiescendum puto neque video, cur auctoritati illius codicis aliquid derogemus eoque minus, quod simili loquendi rationi occurras 7, 23 croceae membrana tabellae. Lectionem ,crocea-tabella' Jahnius in utraque editione proposuit, recte autem ab Hermanno receptum esse ,croceae-tabellae' non solum scholiorum scriptura satis comprobat sed etiam Pus, qui idem exhibet. Item explicandum est 10, 44 praecedentia longi agminis officia („die in langem Zuge voranschreitenden Beamten"). 12, 82 tuti stagna sinus.

Genetivus citius materiam, qua quid constat, quam qualitatem significat: 5, 38 Heliadum crustas i. e. pocula ex electro. 6, 319 meri veteris-torrens. 9, 14 calidi-fascia visci. 141 argenti vascula puri cf. 10, 19. 13, 70 lactis vertice.

D. Genetivus partitivus. (de vi ac partitione huius genetivi cf. Kuehner l. l. II. p. 310 sqq.)

I. Genetivus partitivus. (proprio sensu)

1. Genetivus partitivus ponitur post adiectiva neutrius generis pro substantivis usurpata, quam constructionem poetarum

(Lucretius[1]), Vergilius[2]), Horatius[3])) peculiarem posterioris aetatis scriptores, Tacitus imprimis, fuse imitati sunt. cf. Kuehnast l. c. p. 78 sq. Draeger: Syntax und Stil des Tacitus p. 25 § 66. Exempla Juvenaliana sunt haec: 1, 135 optima silvarum interea pelagique. 5, 18 votorum summa. 12, 55 discriminis ultima. 15, 95 bellorumque ultima cf. *τὰ ἔσχατα.*

Notandum est Romanorum poetas poetarum Graecorum more, quibus genetivi partitivi velut *δῖα γυναικῶν, δαιμόνι' ἀνδρῶν, φίλ' ἀνδρῶν* valde familiares sunt, interdum adiectivis, quae in vim superlativi abeunt, genetivum partitivum subiecisse. Juvenalianum est 6, 557 praecipuus tamen est horum.

2. Genetivos vel pronominum vel nominum admittunt haec pronomina:

aliquis 11, 86 cognatorum aliquis.

quis (pron. interrog.) 5, 129 quis vestrum. 5, 342 quis tunc hominum; quisnam 13, 243 quisnam hominum. 15, 103 quisnam hominum quisve deorum.

quisquam 10, 184 quisquam-deorum. 13, 249 quemquam-deorum; at 3, 119 Romano cuiquam. 14, 6 cuiquam-propinquo.

nemo 7, 45 nemo regum.

II. Genetivus quantitatis. (generis proprio sensu.)

1. Substantiva modum vel pondus significantia, ex quibus genetivus quantitatis qui vocatur pendet, apud Juvenalem haec exstant: pars: 1, 26. 3, 171. 5, 8. 8, 44. 9, 121. 12, 110. particula 13, 13. portio 3, 61 portio faecis Achaei. 9, 127 angustae miseraeque brevissima vitae portio. copia: 1, 87 uberior vitiorum copia. 10, 9 torrens dicendi copia. vis = copia: 6, 440 verborum-vis. iugerum: 3, 141 agri iugera. iugum: 8, 108 iuga pauca boum. grex 1, 46. 6, 175. 8, 108. examen: 13, 68 examenque apium. cohors 5, 28. 8, 127. 14, 305. modus: 3, 310 maximus-ferri modus. 14, 172 modus hic agri. modius: 3, 220 modium argenti. semodius: 14, 67 uno semodio scobis. acervus: 8, 100 acervus nummorum. 13, 10 e medio fortunae-acervo. 57 maiores glandis acervos. frustum: 5, 68 solidae-mucida frusta farinae. 11, 142 frustum capreae. 14, 128 mucida caerulei panis-frusta. tomaculum: 10, 355 candiduli divina tomacula porci. filum: 14, 133 filaque sectivi-porri. gutta: 11, 55 sanguinis-gutta. offa: 6, 472 coctaeque siliginis offas. urna: 7, 236 Siculi-vini urnas. uncia: 11, 131 nulla uncia nobis est eboris. vas: 7, 120 vas pelamydum. silva: 9, 12 horrida siccae silva comae.

[1]) Holtze l. c. p. 49.
[2]) Antoine l. c. p. 72 sq.
[3]) Ebeling l. c. p. 19.

2. Adiectivorum neutra, quibus saepissime genetivi partitivi et in singulari numero et in plurali posito adscribuntur, a Juvenale haec cum genetivo construuntur et semper quidem vocabulorum, ex quibus genetivi pendent, nominativi vel accusativi ponuntur:

quantum 3, 143 quantum nummorum.

tantum 3, 144 tantum-fidei. 8, 240 tantum-nominis ac tituli. 14, 159 tantum culti agri. ‚Tantum' est subaudiendum ex ‚quantum', quod sequitur 9, 116 subrepti — Falerni.

plus: 6, 181 plus aloes quam mellis. 7, 99 plus temporis atque olei plus. 11, 68 plus lactis quam sanguinis. 74, 276 plus hominum.

multum: 4, 285 multum flammarum. 12, 146 multum caelati.

Aptissime his vocibus subiungitur ‚nihil', quod genetivum et substantivorum et pronominum assumit: 2, 139 nil — iuris. 8, 75 nihil futurae laudis. 3, 112 horum — nihil; at 7, 54 nihil expositum. 14, 185 nil vetitum.

aliquid: 7, 24 lignorum aliquid. 13, 203 aliquid discriminis.

quid: 2, 65 quid enim falsi?

quidquid: 6, 520 quidquid subiti et magni discriminis. 13, 83 quidquid telorum.

quod: 8, 123 quod auri atque argenti. 11, 109 argenti quod erat.

quodcunque: 6, 355 argenti superest quodcunque paterni.

3. Uno loco genetivus adverbio ‚utrimque' appositus est: 6, 582 utrimque metarum. cf. Cael. Aurel. acut. 2, 37 utrimque orarum.

‚Inter', ‚de' praepositiones Juvenalis pro genetivis partitivis posuit his locis:

inter: 2, 10 inter Socraticos notissima fossa cinaedos.

de: 1, 66 multum — de Maecenate supino. 3, 123 exiguum

de naturae patriaeque veneno. 259 quid superest de corporibus. 5, 33 bibet Albanis aliquid de montibus aut de Setinis. 167 aliquid de clunibus apri. 6, 33 si de multis nullus placet exitus. 161 nullane de tantis gregibus. 385 ‚quaedam de numero Lamiarum' sequente genetivo ‚nominis Appi'. 10, 28 quod de sapientibus alter. 14, 323 aliquid nostris de moribus. 15, 92 aliquid de sanguine.

E. De genetivo obiectivo.

Genetivi obiectivi adiunguntur:

1) personarum notionibus velut: comes 3, 35. 16, 55. custos 6, 375. 8, 51. testis 8, 80 ambiguae testis incertaeque rei. interpres 4, 79; haud raro nominibus concretis in ‚or' et ‚ix' exeuntibus, in quibus actionis vis est: Magni delator amici 1, 33. spoliator pupilli prostantis 1, 46. nurus corruptor avarae 2, 110. saturarum adiutor 3, 321, sed Beerius l. c. p. 66. Pum ‚auditor' praebere asseverat. plangentis populi derisor Anubis 6, 534. emptorque veneni 8, 17. callidus emptor Olynthi 12, 47. ultor patris 8, 216. sed ille Cannarum vindex et tanti sanguinis ultor annulus 10, 165. defensor culpae 8, 163. tutor principis 10, 92. conditor Iliados 11, 180. mundi — conditor 15, 147. mercatoremque veneni 13, 154. vilis sacci mercator olentis 14, 269. victrix fortunae sapientia 13, 20. nefandi Taurica sacri inventrix 15, 116.

2) substantivis verbalibus.

a) loco accusativi verbo transitive usurpato adiecti: visae-amore puellae 4, 114. amor nummi 14, 139. quarum (divitiarum) amor 238. magni census-amorem 227. curam cohortis (‚Kommando über die Kohorte') 1, 58. nulla viri cura interea 6, 508. post damnum temporis 8, 125. partis — damnum alterius 10, 210. desiderio Bibulae 6, 142. veteris fastidia quercus 14, 184. dirae formidine culpae 13, 106. iactura clientis 3, 125. cuius iactura 6, 91. poenas alieni pendere somni 6, 478. pericli ratio 6, 94. ratio studiorum 7, 1. maiorum respectus 8, 64. reverentia mensae 2, 110. artoptae reverentia 5, 72. reverentia legum 14, 145. famae sitis 10, 140. spes 1, 134. 6, 331. 7, 1. 12, 70. 14, 278.

b) loco aliorum casuum vel praepositionis: ardor concubitus 6, 317. desperatio barbae pro ‚de barba'. Sed in hoc cur

offendamus non est causa, cum ‚desperare aliquid' a sermone Latino haud alienum sit. cf. Kuehner l. l. § 76, 12. desperanda tibi concordia 6, 231. fides artis 6, 560; at 10, 306 tanta in muneribus fiducia. originis huius gaudia longa feras 8, 47. vini atque cibi-gaudia 10, 204. magnae gaudia cenae 15, 41. castrorum imperiis 11, 87. triste profundi imperium 13, 50. magna oblivio rerum 6, 613. nam coitus iam longa oblivio 10, 204. illius occursus 6, 572. occursum-amici 8, 152. occursus hominum 10, 47. pudorem paupertatis 6, 357. taedia vitae 11, 207. tot rerum usus 13, 18.

3) substantivis, quorum adiectiva cum genetivo coniunguntur: laudis titulique cupido 10, 143. saeva cupido immodici census 14, 175. Fidenarum Gabiorumque esse potestas 10, 100.

4) aliis substantivis: optima summi nunc via processus 1, 38 („der beste Weg zum höchsten Avancement.") cf. Tibull. 1, 3, 50 leti mille-viae. semita-tranquillae-vitae 10, 363. materiam risus 10, 47. magni sceleris labor 14, 224. cf. Nep. Phoc. 1, 1: rei militaris labor („Leistung in").

Genetivus gerundii aut gerundivi modi substantivis adiungitur his locis:

scribendi simplicitas 1, 152. magna libido tacendi 2, 74. loquendi libertas 2, 112. testandi libertas 6, 216. usus edendi 4, 139. spes bene cenandi 5, 164. nulla cenandi voluptas 11, 120. peccandi sola voluntas 13, 207. adquirendi insatiabile votum 14, 125. peccandi finem 13, 241. quaerendi cura decoris 6, 501. fastidia mercis ablegandae 14, 201.

II Transeo ad **genetivum ex adiectivis** qui dicuntur **relativis aptum.** Coniunctio autem cum genetivo artissima est, qua notiones duae quasi in unam notionem coalescant atque concrescant. cf. Erdmann: ‚Über den Gebrauch der lateinischen Adiectiva mit dem Genetiv, namentlich bei den Schriftstellern des 1. Jahrhunderts n. Chr.' Progr. gymn. Stendal 1879.

a) adiectiva, quibus cupiditatis, scientiae, contrarii notio inest, reperiuntur haec: cupidus 7, 58 cupidus silvarum. peritus: 1, 128 iurisque peritus Apollo. 6, 586 astrorum mundique peritus. memor 3, 318 nostri memor. immemor 6, 85 immemor et coningis et sororis. prudens 3, 86 adulandi gens prudentissima. conscius 6, 339 testiculi sibi conscius.

13, 193 diri conscia facti mens. inscius 11, 66 inscius herbae. improvidus 3, 273 subiti casus improvidus cf. Erdmann l. l. p. 5.

5) adiectiva, quae societatis, noxiae vim habent, haec a nostro usurpata sunt: particeps 3, 52 participem secreti honesti. reus 4, 105 offensae veteris reus atque tacendae.

c) adiectivum, quod inopiam significat, est hoc unum: inops 7, 61 aeris inops. Adiectivum ,plenus', cui Cicero plerumque genetivum addidit, Juvenalis semper cum ablativo coniungit.

d) adiectiva verbalia in ,ax' exeuntia apud Juvenalem haec cum genetivo coniunguntur: tenax: 8, 25 iustitiaeque tenax. capax: 11, 39 ventrem fenoris atque argenti gravis et pecorum agrorumque capacem. 12, 44 urnae cratera capacem. 15, 144 divinorum capaces. (cf. Erdmann l. c. p. 14).

e) accedunt participia praesentis haec: amans 3, 228 bidentis amans. patiens: 1, 30 iniquae tam patiens urbis. 7, 33 et pelagi patiens et cassidis et ligonis. impatiens: 6, 238 impatiensque morae. 327 morae impatiens. 7, 57 omnis acerbi impatiens. metuens: 5, 154 metuensque flagelli. 7, 210 metuens virgae.

f) Restat, ut de adiectivis ,similis', ,dissimilis' pauca dicam, quae cum dativo coniungi solent, sed nonnunquam cum genetivo construuntur. ,Similis' ubique cum dativo coniungitur, item ,dissimilis' uno excepto loco 10, 192 dissimilemque sui.

,Par' cum genetivo 8, 98 neque vulnus erat par damnorum. (cf. Erdmann l. c. p. 21).

III. De genetivo ex verbis apto.

a) Genetivum, quem dicunt praedicativum, verbum ,esse' assumit vel ad significandum possessorem (4, 55 res fisci est. 5, 92 mullus erit domini. 14, 178 quis metus aut pudor est - properantis avari.) vel ut significet ,proprium, officium alicuius est' (2, 104 summi ducis est. 11, 83 moris erat.)

b) Genetivus, qui dicitur pretii, cum verbis ,esse, emere, vendere, conducere, constare' coniungitur his locis: 3, 54 tanti tibi non sit. 5, 9 tantine iniuria sc. est. 6, 178 quae tanti - gravitas sc. est. 7, 183 quanticunque domus sc. est. 8, 258

pluris enim Decii sc. sunt. 10, 97 quae praeclara et prospera tanti sc. sunt. 343 si tanti vita dierum paucorum sc. est. 13, 96 sunt tanti. 4, 25 potuit - minoris - emi. 11, 16 quae pluris emantur. 4, 26 provincia tanti vendit agros. 8, 192 quanti sua funera vendant. 14, 201 quod vendere possis pluris dimidio. 3, 225 quanti conducis. 6, 365 quanti sibi constent gaudia. 626 tanti - constat. 7, 45 quanti - constant. 188 minoris - constabit.

Genetivus pretii item statuendus est his locis: 6, 137 tanti vocat ille pudicam. 7, 144 pluris quam Gallus agebat. 176 quanti doceat. cf. Plato Apol. 20b *τίς καὶ ποδαπὸς καὶ πόσου διδάσκει;*

c) verbum egendi cum genetivo hoc uno loco coniungitur 15, 147 cuius egent; reliquis cum ablativo. (7, 61. 228. 13, 97).

d) Verba, quibus animi affectus exprimitur, sicut a ceteris scriptoribus cum genetivo coniunguntur, quod nominibus misericordiae, pudoris, poenitentiae propinqua sunt. misereor: 8, 89 miserere inopum sociorum. poenitet: 1, 169 galeatum sero duelli poenitet. 7, 203 poenituit vanae sterilisque cathedrae. 10, 6 conatus non poeniteat votique peracti. pudet: 5, 1 propositi pudet.

Hoc unum, priusquam concludam, addendum puto verbum ,refert', id quod singillatim invenitur, cum ablativo rei coniunctum esse 5, 123 nec minimo sane discrimine refert.

De dativo.

cf. Dittel: ,Der Dativ bei Vergil'. Progr. gymn. Innsbruck 1873.

De dativo commodi et incommodi.

Dativus, qui dicitur commodi et incommodi, apud Juvenalem sescenties invenitur. Ac primum quidem afferam exempla, ubi dativus personam vel rem significat, cui actio prodest vel nocet. 1, 128 hic petit absenti. 2, 89 solis ara deae maribus patet. 3, 188 et istud fermentum tibi habe. 4, 22 emit sibi. 91 vitam impendere vero. 5, 71 servatur domino. 113 dives tibi, pauper amicis. 118 tibi habe frumentum. 6, 17 cum furem nemo timeret caulibus et pomis. 106 secto requiem sperare

lacerto. 250 veraeque paratur harenae. 465 moechis foliata parantur, his emitur. 7, 219 franget sibi. 243 victori populus quod postulat. 8, 118 urbem circo scenaeque vacantem. 213 cuius supplicio non debuit una parari simia. 11, 37 cum sit tibi gobio tantum in loculis. 12, 96 gallinam impendat amico. 13, 46 prandebat sibi quisque deus. 14, 169 sed magnis fratribus horum - altera cena amplior et grandes fumabant - ollae. 14, 313 quam qui totum sibi posceret orbem.

Dativo persona significatur, in cuius honorem aliquid fit[1]). 6, 48 auratam Junoni caede iuvencam. 447 caedere Silvano porcum. 7, 117 ut tibi lasso figantur - palmae. 8, 58 facili cui plurima palma fervet („dessen Behendigkeit zu Ehren"). 12, 3 niveam reginae ducimus agnam. 13, 55 si iuvenis vetulo non assurrexerat et si barbato cuicunque pater (it. Cic. Liv. Suet.) — Praepositio ‚pro' invenitur: 12, 94 pro cuius reditu tot pono altaria. 98 coturnix nulla unquam pro patre cadet.

Porro hic notandus est usus ille inde a Livio[2]) increbrescens et apud Tacitum[3]) saepissime occurrens, quo dativus loco genetivi attributivi substantivo apponitur. Exempla sunt haec: 3, 47 nulli comes exeo; at 3, 34 municipalis harenae perpetui comites. 8, 95 praeconem - tuis circumspice pannis. 15, 129 poenam sceleri.

Dativus commodi pluribus locis adhibetur ad personam significandam, quae actioni verbi aliquo modo interest. Holtze (Syntax. prisc. lat. I p. 296) eum vocat dativum personae, ‚cui studium est'. Alii grammatici eum dici voluerunt dativum energicum vel dynamicum. Sic poeta aliquoties genetivum subiectivum vel substantivi vel pronominis demonstrativi et relativi cum dativo commutat itemque loco pronominis possessivi cum nomine coniuncti dativum pronominis personalis usurpat.[4]) 3, 189 cultis augere peculia servis. 10, 60 immeritis franguntur crura caballis. — 4, 69 et tamen illi surgebant cristae. 5, 42 praeclara illi laudatur hiaspis, ubi nos dicimus „an jenem Gefässe". Deteriores codices exhibent ‚illic'. — 3, 49 cui fervens aestuat

[1]) de usu Vergiliano cf. Dittel l. c. p. 4.
[2]) cf. Kuehnast l. c. p. 119.
[3]) Draeger: Synt. u. Stil § 53 p. 22
[4]) de usu Verg. cf. Dittel l. c. p. 5 sq.; de usu Tibulliano cf. Streifinger l. c. p. 15 sq.

occultis animus semperque tacendis. 7, 61 cui nocte dieque corpus eget. 14, 34 sq. quibus arte benigna et meliore luto finxit praecordia Titan. — 1, 25 gravis iuveni mihi barba sonabat (pro ‚mea iuvenis barba'). 2, 42 hirsuto spirant opobalsama collo quae tibi? 3, 199 tabulata tibi fumant. 6, 80 ut - tibi - nobilis Euryalum myrmillonem exprimat infans. 9, 33 nam si tibi sidera cessant. 139 quo sit mihi tuta senectus. 11, 187 tacito bilem tibi contrahat uxor. 14, 198 trepidum solvunt tibi cornua ventrem. —

Genetivus tamen: 7, 125 huius enim stat currus aeneus.

Dativus personae rem considerantis reperitur 4, 120 at illi dextra iacebat belua.

De dativo obiecti remotioris.

Multa verba praeter accusativum obiecti (propioris) dativum obiecti (remotioris) sibi adiungunt. Cum vero Juvenalis ab ceteris scriptoribus hac in re non discrepet, inutile videtur exempla proferre. Notandus est usus dandi metaphoricus[1]) 10, 119 utrumque - leto dedit. (it. Verg. cf. Antoine l. c. p. 112.)

Unum addendum est, quamquam res potius ad infinitivi usum pertinet. A communi ratione dicendi recedens Juvenalis uno loco verbo dandi infinitivum addit, quo accuratius definiatur, ad quem finem aliquid detur alicui[2]). 14, 30 ad moechum dat (ceras) eisdem ferre cinaedis, ubi in pedestri oratione dicendum erat ‚ferendas'; at 6, 597 atque ipse bibendum porrige.

Duplicem constructionem admittunt haec verba:

donare alicui aliquid 1, 59. 3, 3. 5, 132. 6, 191. 355. 519. 7, 235. 10, 91. 11, 184. 15, 85. donare aliquem aliqua re: 9, 59. circumdare alicui aliquid 6, 458 virides gemmas collo circumdedit. Altera constructio, quae est ‚aliquem aliqua re', non invenitur. exuere aliquid sine dat: 10, 320. 11, 190. 13, 188.

De adiectivis cum dativo coniunctis.

Sunt adiectiva, in quibus inest notio aequalitatis, simili-

[1]) de hoc usu cf. Thielmann: „Das Verbum ‚dare' im Lateinischen als Repräsentant der indogermanischen Wurzel ‚dha'." Leipzig 1882. § 25.
[2]) cf. Schaefler: „Die sogenannten syntaktischen Graecismen bei den augusteischen Dichtern." Progr. Studienanstalt Amberg 1884. p. 68 sq.

tudinis, convenientiae, dissimilitudinis, discordiae. Huc referenda sunt etiam adiectiva, quae dicuntur propinquitatis, commodi, incommodi, amicitiae vel inimicitiarum, doloris, odii. Omnia huiusmodi adiectiva afferre ab hoc loco alienum puto, ea imprimis attingam, quae ab aliis scriptoribus aliter construuntur.

acceptus 3, 58 quae nunc divitibus gens acceptissima nostris.

aemulus 11, 74 aemula Picenis-mala (it. Mart., Plin., Tac.; Cic, Liv. gen.) cf. Kuehner l. l. § 85, 2 A. 1.

aequus 1) = gleich 4, 71 dis aequa potestas. 2) = billig 14, 15 modicis erroribus aequos.

alienus 15, 142 aliena sibi credit mala.

Ea etiam adiectiva, quae apud scriptores pedestris orationis saepius praepositionem asciscunt quam dativum, si agitur de re, non de persona, ut aptus, utilis, apud Juvenalem cum dativo coniunguntur: aptus 6, 581 capiendo nulla videtur aptior hora cibo. 15, 145 exercendis capiendisque artibus apti.

maturus 8, 169 maturus bello Armeniae Syriaeque tuendis amnibus et Rheno et Istro. 12, 7 templis maturus et arae.

conscius. conscium esse alicui 14, 28 conscia matri virgo fuit.

cognatus 5, 103 ‚longae cognata colubrae', quamquam ex forma discerni non potest, utrum dativum an genetivum modo substantivi adiecerit poeta.

contrarius 9, 21 vitae contrarius ire priori.

diversus 10, 3 pauci dinoscere possunt vera bona atque illis multum diversa (it. Hor., Tac., Quintil., Justin.) cf. Kuehner l. l. § 76, 6, c.

docilis 14, 40 dociles imitandis turpibus.

domesticus 15, 64 domestica seditioni tela. Ribbeckius Pi lectionem ‚seditione' recipi vult, quamquam ex scholii veteris explicatione: ‚competentia, vicina furori. nulla nam sic sunt domestica rixantibus tela ut saxa' satis apparet, in commentatoris textu ‚seditioni' scriptum fuisse.

infestus 15, 120 infestaque vallo arma.

notabilis 6, 374 cunctisque notabilis.

obvius 6, 412 cuicunque est obvia. 10, 82 pallidulus mi Brutidius meus ad Martis fuit obvius aram.

par uno excepto loco (8, 98), ubi genetivus exstat, semper cum dativo construitur: 1, 151. 4, 97. 5, 114. 7, 96. 10, 98. 12, 59; item ‚impar' cum dativo: 3, 161 atque puellae sarcinulis impar. cf. 13, 169.

pervius 12, 80 Baianae pervia cymbae-stagna.

proximus duplicem structuram habet: c. dat: 6, 290 proximus urbi Hannibal. 529 antiquo quae proxima surgit ovili; c. praep. ‚a': 10, 126 volveris a prima quae proxima. (it. Valer. Max., Plin., Colum.).

Ex adiectivis ‚similis' et ‚dissimilis' illud semper cum dativo vel pronominis personalis coniungitur, hoc item uno, quem supra attigimus, loco (10, 192) excepto, ubi genetivus exstat. Exempla sunt haec: similis 2, 33 patruo similes. 5, 132 similis dis. 6, 7 haud similis tibi, Cynthia, nec tibi. 165 nigroque simillima cygno. 8, 53 truncoque simillimus Hermae. 270 Aeacidae similis. 271 Thersitae similem. 11, 194 similisque triumpho. 12, 10 similisque affectibus. 14, 51 similem tibi. dissimilis 3, 18 dissimiles veris. 15, 68 illis dissimiles.

suspectus 12, 93 nec suspecta tibi sint haec.

vicinus 1, 8 vicinum rupibus antrum 4, 7. 6, 32. 13, 185. 15, 76; modo substantivi genetivus 6, 509 tamquam vicina mariti.

De dativo post verba simplicia.

nocere 4, 154. 10, 324. parcere 1, 18 periturae-chartae; cf. 5, 156. 6, 37. 208. 8, 117. 14, 215. 246. 287. 15, 159. parere 5, 64 veteri-clienti; f. 12, 107. 14, 331. cedere 1, 110 sacro ne cedat honori; cf. 4, 56. 6, 515. 7, 38. 11, 136. 15, 46. credere 4, 53. 10, 68. 246. placere 3, 135. 6, 38. 276. displicere 2, 26. 6, 495, 13, 1. 14, 65. imperare 6, 63 Tuccia vesicae non imperat. 224. servire 4, 38 calvo serviret Roma Neroni; cf. 10, 184. 12, 106. ignoscere 1, 154 dictis; cf. 6, 435. 8, 181. 188. 13, 103, 15, 105. invidere 7, 93 vati; cf. 10, 228. 11, 110. indulgere 6, 86 nil patriae indulsit. 160 senibus-porcis; cf. 283. 9, 48. 14, 234. ‚indulgere' transitivam vim habet et idem significat quod ‚dare' his locis: 2, 139 quod nil animis in corpora iuris natura in-

dulget. 165 ardenti sese indulsisse tribuno. 6, 384 gratoque indulget basia plectro. 8, 167 indulge veniam pueris. 14, 330 indulsit Caesar cui Claudius omnia. 15, 148 indulsit communis conditor illis tantum animas. 174 ventri indulsit non omne legumen. m i n a r i 3, 256. b l a n d i r i 3, 126. n u b e r e 6, 82 nupta senatori; cf. 141. 591. 10, 330. s u a d e r e 9, 125. 13, 203. 14, 23. f a v e r e 10, 74. 12, 83. g r a t u l a r i 15, 86 elemento gratulor. a e q u a r e 3, 88 cervicibus; cf. 14, 256. 314. e x a e q u a r e 12, 129 montibus aurum exaequet. Ubi ‚aequare' idem valet ac ‚consequi', ‚non inferiorem esse' accus. positus est: 4, 16 aequantem sane paribus sestertia libris. p r o p i n a r e 5, 127 quando propinat Virro tibi. p r o d e s s e 2, 140. 4, 36. 99. 10, 324. d e e s s e 2, 168. 4, 72. 7, 69. 75. 9, 130. 16, 18. v i d e r i, c o n t i n g e r e, c o n c e d e r e.
Accedunt quaedam verba impersonalia: l i c e t 3, 92. 7, 146. 11, 195. Attractionis exemplum, qua post verbum ‚licet' nomen infinitivo adiectum cum dativo personae congruit, habemus 10, 304 non licet esse viro. l i b e t 10, 162. a c c i d i t 12, 29. c o n v e n i t 1) idem est atque ‚accommodatum esse': 7, 136 convenit illis. 10, 348 quid conveniat nobis. 2) formula c o n v e n i t m i h i a l i q u i d c u m a l i q u o: 15, 164 saevis inter se convenit ursis.

De dativo post verba composita.

cf. Ignatius: ‚De verborum cum praepositionibus compositorum apud Cornelium Nepotem, T. Livium, Curtium Rufum cum dativo structura.' Berolini 1877.

Verbis, quae composita sunt cum praepositionibus ‚ad, de, ante, con, in, ob, post, prae, sub' a poetis saepe dativum subiungi, ubi in oratione pedestri praepositio cum ablativo aut accusativo iuncta repetitur, notum est. Juvenalianis quoque exemplis egregie comprobatur verum esse, quod ait Draegerus, post auream quam vocant aetatem increbrescere dativi structuram. — Verba composita cum dativo apud Juvenalem in duas partes dividam, prout verbum simplex transitivum vel intransitivum est.

a) cum verbis transitivis.

a d d e r e semper cum dativo rei construitur: 1, 118 quantum rationibus addat. 147 quod nostris moribus addat posteritas. 10, 151 additur imperiis. a d m o v e r e (Ovid. dat. et praep. ‚ad'; Verg. Hor. dat.; Liv. Curt. et dat. et praep. ‚ad'; Vell. dat.; Cic. dat. sensu translato, praep. ‚ad' sensu proprio) ubique fere cum dativo a) personae 2, 147 his licet ipsum admoveas. b) rei 6, 427 admotum pedibus. 497 admotaque lanis. 10, 149 ‚Niloque admota tepenti', ubi dativum praepositio ‚ad' excipit ‚rursus ad Aethiopum populos altosque elephantos'. a f f i g e r e 10, 133 truncis affixa tropaeis. (it. Ovid. Verg. Hor.; Liv. praepp. ‚ad', ‚in', dat.; Curt. dat.) a p p o n e r e 9 98 candelam apponere valvis. (it. Hor. Liv. Curt.) a f f e r r e 5, 87 pallidus affertur misero tibi caulis. 7, 215 quis gremio Celadi affert. 14, 187 tibi adferat. c o n f e r r e 12, 22 conferri velis ardentibus. c o n f u n d e r e 6, 283 et mare caelo confundas. (it. Hor) c o n i u n g e r e 15, 153 laribus coniungere nostris. c o m p a r a r e 11, 130 qui me sibi comparet. 13, 65 sq. hoc monstrum puero vel mirandis sub aratro piscibus inventis et fetae comparo mulae. 120 nec comparo testamento mille rates. 14, 19 sq. nullam Sirena flagellis comparat. d e t e r e r e 3, 24 deteret exiguis aliquid. e r i p e r e 3, 238 eripient somnum Druso vitulisque marinis. 15, 160 quando leoni fortior eripuit vitam leo? i m p u t a r e 2, 17 hunc ego fatis imputo. 6, 178 ut se tibi semper imputet. i n c i d e r e 8, 69 titulis incidere. (poetae dat. praeferunt; Liv. iterat praep. ‚in' c. acc.; Cic. praep. ‚in' c. acc. et abl.) i n c u t e r e 3, 246 tignum capiti incutit. 9, 5 nos colaphum incutimus - lambenti servo. (it. Verg. Curt.; Liv. modo praep. ‚in' c. acc. modo dat.) i m p o n e r e 3, 252 tot res impositas capiti. 12, 84 farra imponite cultris. 118 frontibus ancillarum imponet vittas. Item sensu translato 6, 444 imponet finem sapiens et rebus honestis. Sensu ‚täuschen' ex legibus grammaticis dativum habemus 4, 103 facile est barbato imponere regi. i m p r i m e r e 6, 422 cristae digitos impressit. 9, 134 erucis imprime dentem (it. Hor., Curt.). o p p o n e r e 2, 39 quae te moribus opponunt. 9, 86 quod famae opponere possis. p r a e f e r r e a) proprio sensu: 8, 139 claramque facem praeferre pudendis. b) sensu translato: 5, 45 zelotypo iuvenis praelatus

Jarbae. cf. 6, 111. 8, 83. 212. 12, 49. 71. praeponere = aliquam rem potiorem existimare: 3, 5 Prochytam praepono Suburae. = ducem dare: 10, 92 exercitibus praeponere. subducere 1, 15 manum ferulae subduximus. subicere 10, 56 subiecta potentia magnae invidiae. summittere 6, 334 imposito clunem summittat asello. 12, 54 ut malum ferro summitteret (Liv.). subnectere 3, 315 his poteram subnectere. subtexere 7, 192 nigrae lunam subtexit alutae. (primum ap. Liv.). supponere 10, 76 suppositumque rotis solidum mare. subtrahere 6, 649 quibus mons subtrahitur.

Sunt quaedam verba simplicia, quibus per analogiam verborum compositorum dativus subiungitur. iungere 6, 42 iungitur Ursidio. 200 si tibi legitimis pactam iunctamque tabellis non es amaturus. 9, 89 commoda multa iungentur caducis. nectere 6, 51 necte coronam postibus. miscere 2, 25 quis caelum terris non misceat et mare caelo; permiscere 8, 174 permixtum nautis et furibus ac fugitivis. (it. Verg., Hor.)

b) cum verbis intransitivis.

adridere 6, 606 adridens nudis infantibus. adsidere 11, 202 quos cultae decet adsedisse puellae. (it. Liv. Curt.) adnuere 3, 316 nam mihi - mulio - adnuit. concurrere 15, 20 concurrentia saxa Cyaneis. Sed dubitari potest, num poeta sic scripserit. Cyaneae enim insulae saxeae intelleguntur, quae in Bosporo Thracico sitae concurrentes navigia illidere dicebantur. Erant igitur eadem saxa, quae in fabulis Graecorum Symplegades vocantur. Saxa vero cum Cyaneis, quae et ipsae saxa erant, concurrisse poetam dicere voluisse vix crediderim[1]). Quare Pi lectionem, quam Jahnius in utraque editione recepit, mendosam esse coniecerim, nisi forte Weidneri explicatio probatur, qui ‚Cyaneis‘ per synecdochen positum esse suspicatur pro mari, in quo rupes sint, ita ut ablativus loci statuendus sit, quae explicatio altius repetita mihi videtur, quam cui assentiri ausim. Duae emen-

[1]) Mayor: Thirteen satires of Juvenal with a commentary. London and Cambridge 1881. vol. II p. 365 loci difficultatem nimis artificiose explicat, cum dicat: the Cyaneae seem to be the whole cliffs, of which the saxa are so to say the component parts.

dandi rationes restant: una, qua cum Dausqueio ad Sil. Ital. 14, 515 ‚saxa Cyanea‘ scribimus, quam lectionem Rupertius, cum a metricis legibus abhorrere videretur, respuit. Non recte; nam Juvenalem, id quod plerique classicorum poetarum committere dubitaverunt, ultimam vocabuli vocalem brevem produxisse sequente vocabulo a duabus consonis incipiente comprobatur 8, 107 occulta spolia. Altera emendationis ratio est ‚Cyaneas‘. Tum locus ita explicetur necesse est, ut nomen proprium ‚Cyaneas‘ per appositionem nomini appellativo ‚saxa‘ adiungatur. Nescio an eodem modo sit explicandum 5, 38 ipse capaces Heliadum crustas et inaequales berullo Virro tenet phialas. Sic Jahnius legendum censuit contra Pi auctoritatem, qui ‚berullos‘ exhibet.[1]) Mea quidem sententia non est, cur ab illa lectione discedamus, cum explicatio sane probanda non desit. Ut enim nomen domini pronomini, quod antecedit, ‚ipse‘ per appositionem adiunctum est, ita voces ‚crustas‘ et ‚berullos‘ speciem et materiam magis quam genus vasorum significantes accuratius definiuntur voce ‚phialas‘. ‚Berullos‘ vero per metonymiam pro ‚vasa e berullis facta‘ dictum offensionem non praebet, cum Juvenalis alio loco similiter ‚electrum‘ pro ‚vas ex electro factum‘ ponat. cf. 14, 307 attonitus pro electro signisque suis. 7, 130 magno cum rhinocerote lavari. incumbere (Cic. praepp. ‚ad‘, ‚in‘ c. acc.; inde a Vergilio apud poetas et scriptores prosaicos plerumque dat.) semper cum dativo: a) sensu proprio: 15, 128 brevibus remis incumbere. b) sensu translato: 8, 76 incumbere famae. 14, 122 eidem incumbere sectae. incurrere 6, 330 servis incurritur (it. Verg., Sallust. Iug. 101, 8., Liv.) insistere 6, 96 nec tremulis possunt insistere plantis. 144 clamoso insistere circo. instare de rebus iniucundis vel periculosis adhibetur, ut fere idem atque ‚imminere‘ valeat: 6, 407 instantem regi Armenio Parthoque cometen. obstare. Cui verbo plerumque vis impediendi subest, semel alia 6, 154 armatis obstat casa candida nautis. Dativus

[1]) Kiaerus: Sermonem D. Janii Juvenalis etc. Hauniae 1875 p. 103 coniecit poetam scripsisse ‚inaequales berullos Virro tenet; phialae tibi non committitur aurum‘.

igitur incommodi exstat a) personae: 3, 243 nobis properantibus obstat unda prior. 4, 62 obstitit intranti miratrix turba parumper. 14, 49 peccaturo obstet tibi filius infans. b) rei: 3, 164 quorum virtutibus obstat. 194 nam sic labentibus obstat. 11, 15 nunquam animo pretiis obstantibus. occurrere 1, 18. 5, 54. 6, 655. 9, 1. 44. 12, 77. obsequi 10, 343 imperio. succurrere 6, 443 lunae. ‚superesse' pro ‚subesse' 13, 109 nam cum magna malae superest audacia causae.

Verbi ‚haerere' a Juvenale saepius usurpati structura est varia. Nonnullis locis, ubi eadem est forma et dativo et ablativo, ambiguum est, utrum casum adiunxerit Juvenalis. Dativum intellegendum esse ex forma grammatica perspicue apparet 7, 227 haereret nigro fuligo Maroni. Ceteris locis utro casu Juvenalis usus fuerit, ex forma grammatica discerni non potest, quamquam poetam dativum usurpasse pro certo habendum est, cum duobus locis ablativo praepositionem ‚in' adiecerit. Sunt hi: 2, 137 tormentum ingens nubentibus haeret. (it. Cic. dat. personae Rosc. com. 6, 17 homini huic haerere peccatum). 10, 144 haesuri saxis cinerum custodibus. Praepositio ‚in' adiecta est: 3, 248 in digito clavus mihi militis haeret. 11, 54 in facie non haeret gutta.

De dativo cum verbis passivis coniuncto.

Poetae et scriptores posterioris aetatis, qui libentissime orationem praepositionibus levant, brevitatis et graecissandi studio saepe dativum pro praep. ‚a' verbis passivis subiungunt ad personam agentem significandam. Dativus igitur apud Juvenalem coniungitur:

1) cum gerundivo, ut in pedestri oratione: 1, 96 sportula turbae rapienda togatae. cf. 134. 2, 31. 133. 4, 1. 153. 6, 184. 231. 455. 513. 601. 8, 267. 11, 45. 75. Semel praep. ‚a' gerundivo adiecta est: 12, 14 et a grandi cervix ferienda ministro.

2) cum participio perfecti: 6, 588 civis formidatus Othoni. 15, 98 dicta mihi gens.

3) cum finitis verbi passivi temporibus: 6, 45 quaeritur illi.

Additamenta.

De ceteris dativi generibus mihi non opus est multa verba facere, cum ne unum quidem exemplum invenerim, quod legibus grammaticis repugnet. Usus dativi verbo ‚sum' adiecti vulgatissimus est, dativus ethicus locutione illa ‚quid sibi vult' excepta (9, 3 quid tibi cum vultu) non invenitur, dativi, quo finis et consilium exprimitur, exemplum non notavi.

De accusativo.

cf. Rantz: Der Accusativus bei Vergil. Progr. gymn. Dueren 1871.

Accusativum quem vocant **Graecum,** cuius apud priscos poetas perpauca exempla exstant, a poetis et scriptoribus aetatis argenteae in universum graecissantibus magno cum studio adhibitum esse nemo est, quin sciat. Quo ex genere exempla Juvenaliana collegi haec: 2, 97 caerulea indutus scutulata aut galbina rasa. 8, 16 tenerum attritus Catinensi pumice lumbum. Vergilius[1]), Horatius[2]), alii poetae sescenties eo utuntur. cf. Schaefler: l. l. p. 10 sq. Accusativus non verbo subiungitur sed adiectivo 8, 4 umerosque minorem cf. Sil. Ital. 3, 42 Achelous frontem minor.[3])

Transeo ad alium hellenismum celeberrimum. Poetae enim et posterioris aevi scriptores haud raro verbis non solum transitivis sed etiam, id quod multo magis offendit, intransitivis accusativum ut obiectum addunt, quod condicionem verbi demum vi effectam significat atque eadem, qua verbum ipsum, vel cognata fictum est. Huiusmodi accusativum grammatici vel **‚accusativum verbalem'** vel **‚obiectum internum'** dici voluerunt. cf. Kuehner II p. 209 sq. Draeger Histor. Syntax I.[2] p. 386 sq. Bachius l. l. p. 14 sq.

2, 3 Bacchanalia vivunt. 12, 128 vivat Pacuvius quaeso vel Nestora totum. 6, 425 totum oenophorum sitiens. 6, 63 chironomon Ledam molli saltante Bathyllo (it. Hor. ‚Cyclopa',

[1]) Antoine l. l. p. 52 sq.
[2]) Ebeling l. l. p. 7.
[3]) Schaefler l. l. p. 34 sq.

Vell. ‚Glaucum'.) 6, 636 grande Sophocleo carmen bacchamur hiatu i. e. bacchico furore carmen fingimus. Eodem pertinet constructio quae vocatur praegnans: 13, 88 natura volvente vices volvendo vices efficere (it. Verg. Aen. 3, 376 volvitque vices. Liv. 4, 28, 3 volvere orbem) cf. Rantz l. l. p. 7.

Accusativi adiectivorum verbis adiecti sunt his locis: 1, 16 ut altum dormiret (in passivi forma 6, 269 minimum dormitur in illo.) 3, 107 si rectum minxit amicus. 6, 65 Appula gannit sicut in amplexu subidum et miserabile. Sic enim scripserim cum Hermanno contra Pi auctoritatem ‚subito' exhibentis, qua lectione totius loci vigor mirum quantum imminuitur, cum ex verbis ‚sicut in amplexu' satis appareat vocem gravem fortemque non languidam requiri. Fortasse monachi aut quia, quidquid offendere poterat, delere studuerunt aut quia vocem ‚subidum' non intellexerunt, hunc locum sic corruperunt. 65 sq. longum attendit Thymele. 517 grande sonat. 7, 71 surda nihil gemeret grave bucina. 14, 295 aestivum tonat. (Verg. Aen. 9, 630 intonuit laevum).

Pro numero singulari habemus pluralem: 11, 161 sq. ut Gaditana canoro incipiant prurire choro. 7, 108 ipsi magna sonant. 240 ne turpia ludant. (= ludendo turpia facere.)

Eodem pertinent verba ‚sapere' et ‚olere': 5, 87 olebit lanternam. 6, 431 aurata Falernum pelvis olet. 11, 81 calidae sapiat quid vulva popinae. 121 nil rhombus, nil dama sapit.

Accusativus adverbialis.

cf. Draeger: Hist. Syntax I[2] p. 390 sq. Kuehner II p. 214 sq. Kuehnast l. l. p. 155.

Nonnullis locis accusativus adverbialis pronominis indefiniti verbo credendi cum dativo coniuncto adiectus est. Exempla sunt haec: 4, 53 si quid Palfurio credimus. 10, 68 si quid mihi credis. 246 magno si quidquam credis Homero. — Pronominis neutrius modo etiam ‚nihil' intransitivo adseritur verbo: 6, 86 nil patriae indulsit. 4,99 profuit ergo nihil misero. 13, 18 nihil-proficit. 227 illa nihil nocuit. — Adiectiva quantitatis modum significantia neutrali forma verbo adserta sunt: 7, 31 ‚tantum admirari tantum laudare', ubi ‚ut' excipit ‚tantum' pro ‚quantum'. 10, 251 quantum de

legibus ipse queratur. 14, 239 quantum dilexit Thebas. 1, 164 multum quaesitus Hylas. 10, 3 multum diversa. 6, 135 minimumque libidine peccant. 14, 53 omnia peccet. cf. Biese: de obiecto interno apud Plautum et Terentium atque de transitu verbalium notionum. Diss. inaug. Kiliae 1878 p. 26.

Accusativus post verba intransitiva.

Verba transitiva, cum significent actionem ad rem externam transeuntem, accusativum asciscere vix opus est ut dicam. Sed multa inveniuntur verba, quae quamquam usu vulgari intransitive adhibentur ideoque accusativum non requirunt, tamen a poetis nonnullisque orationis pedestris scriptoribus cum casu illo coniuncta sunt. In horum verborum numero imprimis memoranda sunt verba affectum quendam significantia, quae in nostra lingua praepositis syllabis ‚be' vel ‚er' vel ‚ver' plerumque transitiva fiunt. Pauca eius constructionis exempla exstant apud Plautum, Terentium, Catonem, (cf. Draeger: Hist. Syntax I[2] p. 358 sq.) inde vero, imprimis apud aureae aetatis poetas, constructio increbrescit et ad multa verba refertur. cf. Kuehner II p. 195. De Vergilio cf. Rantz l. l. p. 10. Antoine l. l. p. 36 sq., de Horatio cf. Ebeling l. l. p. 11 sq., de Catullo cf. Overholthaus l. l. p. 24. — Cuiusmodi exempla sunt haec: formidare 3, 175 hiatum formidat. gemere 3, 214 gemimus casus urbis. horrere 3, 7 horrere incendia; cum accusativo personae 3, 265 taetrumque novicius horret porthmea. 6, 183 ut non illam horreat. Memorabilis est passivi forma ‚horrendus' inde a Livio usurpata: 6, 485 intonet horrendum. 12, 15 horrendaque passi. exhorrescere 8, 196 mortem sic quisquam exhorruit. lugere 3, 279 lugentis amicum. 10, 256 raptum cum luget Achillem. 257 cui fas Ithacum lugere natantem. Passivi forma 8, 267 matronis lugendus. plorare 14, 150 quam multi talia plorent. 15, 134 plorare ergo iubet causam dicentis amici squaloremque rei[1]) i. e. squalorem amici causam dicentis reique cf. Hor. O. 3, 1, 12: moribus hic meliorque fama. Aptior est deteriorum codicum lectio ‚casum lugentis amici', sed in tanta pleonasmorum copia non est, cur a Pi lectione discedamus. Passivi forma

[1]) Kiaerus l. l. p. 27 sq. assentiente Friedlaendero (Burs. Jahresb. III p. 213) parva mutatione emendat ‚squalorem atque rei'.

13, 134 ploratur lacrimis amissa pecunia veris. pavere 15, 3 illa pavet saturam serpentibus ibin. expavere 6, 360 frigus famemque expavere. queri 13, 71 intercepta decem quereris sestertia fraude sacrilega. Aliis locis praepositio ‚de' adiecta est: 2, 24 quis tulerit Gracchos de seditione querentes. 10, 251 quantum de legibus ipse queratur fatorum et nimio de stamine. ridere 6, 343 simpuvium ridere Numae nigrumque catinum. 8, 191 ridere potest alapas. 10, 51 ridebat curas. Passivi forma 6, 464 ridenda facies. 10, 124 ridenda poemata malo. stupere 4, 119 nemo magis rhombum stupuit. 13, 16 stupet haec. 164 caerulea quis stupuit Germani lumina. suspirare 11, 152 suspirare longo non visam tempore matrem (it. Horat. O. 3, 7, 10 suspirare Chloen. Tibull. 4, 5, 11 alios-suspirat amores.) tremere 11, 90 cum tremerent autem Fabios durumque Catonem et Scauros et Fabricios. trepidare 8, 152 et occursum nusquam trepidabit amici. 10, 21 motae ad lunam trepidabis harundinis umbras.

Notandus est usus transitivus horum verborum: iurare 3, 144 iures licet Samothracum et nostrorum aras. 8, 156 iurat solam Eponam et facies olida ad praesepia pictas. Similiter apud Graecos ‚ὀμνύναι θεόν'. Praepositio ‚per' posita est 2, 98. 6, 17. 13, 78. vigilare 7, 27 vigilataque (= vigilando effecta) proelia dele. (it. Verg., Hor., Ovid. A. A. 2, 285 carmen vigilatum. Tibull., Prop., Quint., Tacit., Plin. ep.) spirare 6, 462 pinguia Poppaeana spirat. 7, 111 tunc immensa cavi spirant mendacia folles. (item spirare = exspirare Verg., Hor., Liv.) plaudere = cum plausu excipere 1, 146 ducitur iratis plaudendum funus amicis. (it. Verg., Ovid., Mart., Stat., Pers.) tacere 9, 26 quodque taces. Passivi forma 4, 105 offensae-tacendae. 3, 50 aestuat occultis animus semperque tacendis. (Cic. semper c. acc. pronominis, poetae et Livius etiam c. acc. substantivi. cf. Rantz l. l. p. 142.) desperare 6, 231 desperanda tibi-concordia (it. Caes., Nep., Cic., Liv.). habitare 15, 152 proavis habitatas linquere silvas. (Cic. eiusque aequales plerumque ‚habitare in loco aliquo'; Verg., Ovid., alii poetae ‚habitare aliquem locum'.)

Transeo ad verba motum aliquem significantia, quae, quamquam principalis significatio eorum est intransitiva, interdum transitive adhibita accusativum regunt: penetrare 5, 106 cryptam penetrare Suburae. (it. Vergilio auctore Senec. Ben. 7, 3, 3. Suet., Vell., Tac.) migrare 11, 51 Esquilias a ferventi migrare Subura. natare 8, 264 et quae imperii fines Tiberinum virgo natavit. (it. Verg., Stat.; Ovid. passivi forma.) 14, 121 Jahnius ‚illam ire viam' scripsit, sed Beerius[1]) Pum ‚illa-via' praebere asseverat. festinare 4, 96 mors tam festinata (it. Hor., Verg., Stat., Sallust.) properare 3, 264 haec-properantur. 4, 134 argillam atque rotam citius properate. Verbum origine sua intransitivum (6, 148. 430. 488.) est, quem esse Ciceronianum usum nemo nescit. Sallustius illud transitive usurpat poetas imitatus. Item iam Plautus cf. Servius in Aen. 9, 401 ‚antique' inquit ‚properat mortem', ut Plautus ‚properare prandium'. cf. Cas. 385 abi atque obsonia propera (it. Hor.).

Verba intransitiva cum praepositionibus composita saepissime transitivorum naturam induunt. Jam verba hoc modo usurpata recenseamus. cf. Draeger Hist. Synt. I[2] p. 376 sq. Kuehner II p. 198 sq. ambire 16, 48 quos-balteus ambit. egredi significatione translata 6, 635 finem egressi legemque priorum. ingredi 7, 172 vitae diversum iter ingredietur. 10, 20 iter ingressus. (item semper ‚intrare' cum acc.: 2, 88 limen. 6, 120 lupanar-cellam. 374 balnea. 10, 171 urbem. 317 quosdam moechos et mugilis intrat. 12, 75 moles.) evadere 12, 18 fulminis ictus evasit. 22 si Libitinam evaserit aeger. (praeeuntibus Vergilio et Ovidio etiam alii argenteae aetatis scriptores, ut Tacitus, Val. Maximus, Seneca hoc verbum c. acc. coniunxerunt.) invadere 2, 20 talia-invadunt. erepere 6, 526 totum agrum-erepet. ascendere 1, 82 montem ascendit. conscendere 6, 98 conscendere navem. descendere 14, 266 quique solet rectum descendere funem (it. Vell. 2, 25, 4 descendens montem Tifata; at Suet. Nero 11 per catadromum descendere.) pervolare 1, 60 dum pervolat-Flaminiam. 6, 398 totam pervolat urbem. praeterire sensu proprio 6, 307 veterem cum praeterit aram; significatione translata ‚überholen' 14, 214 ut Aiax praeteriit Telamonem. praecedere propria significatione c. acc. coniungitur 8, 23 praecedant ipsas illi te consule virgas. 13, 107 tunc te sacra ad delubra vocantem

[1]) l. l. p. 75.

praecedit. (it. Verg., Liv.) s u b i r e 2, 50 Hispo subit iuvenes. 3, 28 nullo dextram subeunte bacillo. 4, 10 terram subitura sacerdos. 6, 419 balnea subit. 592 subeunt discrimen. 652 subeuntem fata. 7, 34 taedia tunc subeunt animos. 14, 33 magnis cum subeant animos auctoribus. 202 nec te fastidia-subeant. 221 si limina vestra subit. Passivi forma 16, 2 nam si subeuntur prospera castra. t r a n s i r e 2, 151. 3, 114. 6, 602. 7, 190. 10, 273. Sensu ‚vorbeigehen an' usurpatum est 14, 10 cum septimus annus transierit puerum. t r a n s i l i r e 10, 152 Pyrenaeum transilit. 14, 279 nec Carpathium Gaetulaque tantum aequora transiliet.

In constructione verbi ‚d e p a s c i' poeta ita recedit a vulgari usu, ut formae passivi ratione non habita accusativum ei adiungat loco ablativi, quasi sit verbum activum: 4, 50 depastumque diu vivaria. cf. Draeger Hist. Synt. I² p. 369, qui plura huius usus exempla e Vergilio sumpta attulit.

Accusativum exclamationis habemus hisce locis:

a) cum interiectionibus coniunctum 2, 72 en habitum! 6, 531 en animam et mentem! 10, 122 o fortunatam Romam! 13, 140 o delicias! 15, 10 o sanctas gentes!

b) interiectione omissa 6, 47 delicias hominis!

Sermonis Juvenaliani plus uno loco animum poetae commotum concitato orationis cursu prodentis maxime propria est rhetorica figura, quae dicitur e l l i p s i s verborum. Occurunt enim apud Juvenalem accusativi, qui pendent a verbo subaudiendo, velut 1, 98 alea quando hos animos? sc. habuit. 4, 25 hoc pretio squamam sc. emisti. Sic Jahnius in duabus editionibus. Kiaerus l. l. p. 113 sq. Po auctore ‚hoc pretio squamae' sc. emuntur legendum esse censet. Quod quamquam ferri potest (cf. Friedlaend. Burs. Jahresb. III p. 211.), tamen ex scholiastae adnotatione ‚HOC PRETIOS. i. e. piscem, a parte totum' satis apparet, eum ‚squamam' legisse. 5, 107 ipsi pauca velim sc. dicere. Poeta indignationis et acerbitatis plenus Pontiam, quae pueros suos veneno interceperat, alloquitur 6, 641 Tune tuos una, saevissima vipera, cena? ubi subaudias ‚necasti'. 7, 207 sq. di, maiorum umbris tenuem et sine pondere terram spirantisque crocos et in urna perpetuum ver sc. date. 14, 189 haec illi veteres praecepta minoribus sc. dederunt.

Et apud Juvenalem et apud alios poetas (Ovid., Verg., Hor. cf. Ebeling l. l. p. 16) admodum frequens est verbi ellipsis in enuntiatis interrogativis a ‚q u o' et ‚u n d e' incipientibus: 8, 9. effigies quo tot bellatorum? 142 quo mihi te solitum? 14, 135 sed quo divitias-coactas? 15, 51 et sane quo tot rixantis milia turbae? — 14, 56 unde tibi frontem libertatemque parentis?

Ut aliquoties verbum finitum omittitur, unde accusativus pendet, ita haud raro poeta lectori accusativum obiecti e nexu sententiaque verborum praecedentium supplendum relinquit: 1, 125 citius dimitte (sc. nos). 126 noli vexare (sc. eam). 2, 42 ne pudeat (sc. te). 5, 73 superest illic, qui ponere cogat (sc. panem). 6, 137 vocat pudicam (sc. eam). 347 prohibe (sc. eam). 7, 129 sic Pedo conturbat (sc. rem familiarem). 9, 84 tollis (sc. filios). 92 neglegit (sc. me). 11, 60 sq. habebis Euandrum (sc. me). 13, 204 reddidit ergo metu (sc. depositum). 14, 54 corripies (sc. eum). 16, 31 et credam dignum (sc. eum). — Accusativo obiecti omisso absolute dicta sunt verba: r e p o n e r e 1, 1 numquamne reponam (‚vergelten'). c o n s t i t u e r e 3, 12 hic ubi nocturnae Numa constituebat amicae (‚sich verabredete mit').

Unum addendum. Uno loco accusativus per appositionem additus est, pro quo potius genetivum exspectes: 3, 178 aequales habitus illic similesque videbis orchestram et populum.

De ablativo.

Ablativus causae. Aliquoties poeta praepositione ‚a' suppressa ablativum personae agentis passivi formis addit, quasi sit instrumentum aliquod. Ablativum intellegendum esse ex forma grammatica perspicue apparet hisce locis: 1, 13 ‚assiduo ruptae lectore columnae', ubi persona pro re usurpatur. Weidnerus recte adnotat: ‚der Übergang zum sachlichen Begriff führte auch zum Gebrauch des Ablativ ohne Praeposition'. 3, 91 quo mordetur gallina marito. 306 armato custode tenentur. 6, 29 qua Tisiphone-exagitare, 13, 87 nullo credant mundum rectore moveri. Nonnullis locis dubium est, utrum sit dativus an ablativus praepositione ‚a' omissa: 1, 146. 3, 13. 6, 73. 7, 64. 11, 191. 13, 124. — Contra pro nudo ablativo interdum notionibus rerum praepositio ‚a' addi solet, quasi sint personae agentes, velut 10, 270 ab ingrato iam fastiditus aratro.

In constructione verborum ‚g i g n i', ‚n a s c i' Juvenalis variat.

Asciscunt non solum nudum ablativum sed etiam praepp. ‚ex', ‚de': 6, 12 rupto robore nati. 8, 259 ancilla natus. 13, 142 nati infelicibus ovis. 14, 241 legionibus dentibus anguis nascuntur. — 6, 627 natos de paelice. 3, 156 quocunque e fornice nati. 9, 83 nascitur ex me. 14, 40 ex nobis geniti.

Causa interior i. e. affectum quendam subiecti agentis significans ablativo exprimitur his locis: 6, 135 libidine. 13, 204 metu, non moribus (‚nicht aus sittlichem Gefühl') 225 rabie. 15, 77 nimia formidine. 102 fame. — Participium perfecti passivi adiunctus est: 7, 40 si dulcedine famae succensus recites. 10, 351 caeca magnaque cupidine ducti. — Ablativus causae exterioris, quam nos dicimus ‚Sachgrund', invenitur his locis: 3, 282 annis (‚infolge der Jahre'). 6, 219 meruit quo crimine servus supplicium. 7, 101 crescit multa-papyro (‚wegen des vielen Papiers'.) 10, 15 iussu. 351 impulsu. 15, 138 imperio.

Verba animi motus a) vel corporis statum b) significantia, quibus ablativus causae a Juvenale adiungitur, sunt haec:

a) ardere 1, 45. 6, 129. 142. 11, 6. 13, 14. aestuare 3, 49 fervens aestuat occultis animus semperque tacendis. exardescere 6, 103 qua tamen exarsit forma. flagrare 4, 114 qui numquam visae flagrabat amore puellae. 13, 182 quorum praecordia nullis interdum aut levibus videas flagrantia causis. gaudere 5, 143. 6, 74. 209. 232. 379. 7, 105. 8, 13. 10, 292. 11, 103. 13, 192. 247. 14, 18. laetari 10, 310 specie laetare.

b) calere 1, 83 anima caluerunt mollia saxa. 10, 218 sanguis febre calet sola. 11, 70 tortoque calentia feno ova. fervere 3, 282 mero fervens. 5, 49 fervet vinoque ciboque. 6, 138 lampade fervet. 10, 300 vultumque modesto sanguine ferventem. fulgere 8, 42 quae sanguine fulget Juli. 10, 212 quibus aurata mos est fulgere lacerna. gelari 6, 95 pavidoque gelantur pectore. madere 4, 154 caede madenti. 10, 121 sanguine maduerunt. 13, 85 Pharioque madentis aceto. nitere 12, 88 fragili simulacra nitentia cera. nutare 15, 156 ingenti nutantem vulnere civem. pallere 2, 50 et morbo pallet utroque. rubere 6, 479 rubet ille flagello; at 7, 196 a matre rubentem, sonare 3, 252 sonat (domus) unctis striglibus. 6, 560 sonuit si dextera ferro laevaque. 11, 141 sonat ulmea cena Subura. titubare 15, 48 mero titubantibus. tumere 3, 292 cuius aceto, cuius conche tumes? 6, 462 pane tumet facies. 8, 40 tumes alto Drusorum stemmate. 10, 309 utero pariter gibboque tumentem. valere 6, 100 stomacho valet. Huc pertinent haec adiectiva vel participia a verbis affectuum derivata: confusus 3, 1 digressu confusus. laetus 13, 123. 14, 23. 16, 60. maestus 2, 109. superbus 14, 282. — aeger 3, 232 aeger vigilando. 4, 3 aegrae solaque libidine fortes deliciae. caecus 12, 51 vitio caeci. foedus 14, 64 stercore foeda canino atria. frigidus 1, 166 frigida mens est criminibus. 6, 325 frigidus aevo. lassus 8, 246 alieno lassus aratro. 15, 167 marris ac vomere lassi. lippus 10, 130 fuligine lippus. lividus 6, 631 livida materno fervent adipata veneno. macer 6, 138 nec pharetris Veneris macer est. miserabilis 12, 67 inopi miserabilis arte. niger 13, 45 bracchia-Liparaea nigra taberna. pinguis 5, 105 pinguis torrente cloaca. praegnas 2, 55 tenui praegnatem stamine fusum. piger 12, 11 ipsa mole piger. siccus 13, 212 faucibus et morbo siccis. tardus 4, 44 desidia tardos et longo frigore pingues. 107 abdomine tardus. trepidus 13, 106 trepidum formidine culpae. turpis 6, 131 obscurisque genis turpis fumoque lucernae foeda. tutus 15, 154 tutos vicino limine somnos ut collata daret fiducia. Minus recte Ribbeckius l. l. p. 62 hunc locum vertit: ‚Schlaf, dem von der Schwelle des Nachbars keine Gefahr droht'; quod ita potius dicendum erat: ‚tutos a vicino limine somnos', cum poeta adiectivo ‚tutos' semper praep. ‚a' adiciat. cf. 3, 109. 9, 139. 11, 146. Immo toti loco hic fere sensus subest: civium concordia efficitur, ut tutum somnum capere possis. Ergo vicinum limen causa securitatis est et ‚vicino limine' ablativus causae. udus 8, 159 assiduo-udus amomo. 243 udo caedibus assiduis gladio. — Uno loco poeta praepositionem ‚a' posuit, ut effectum e causa profectum significet: 7, 164 madidas a tempestate cohortes. cf. Draeger Hist. Syntax I² p. 550.

Verba quae sunt ‚fidere' et ‚confidere'. Incertum est, utrum ablativus an dativus sit, cum eadem sit utriusque forma. 7, 139 fidimus eloquio? 10, 10 viribus ille confisus-admirandisque lacertis. 12, 58 confisus ligno.

Ablativus instrumenti.

Ac primum quidem pauca aliqua exempla afferam, unde perspicue apparet, quantum Romanorum dicendi ratio differat a nostra. 1, 158 vehatur pensilibus plumis. 6, 351 vehitur cervice. 10, 42 curru servus portatur eodem. 2, 118 sive hic recto cantaverat aere. 7, 128 statua meditatur proelia lusca (‚an'). 8, 106 referebant navibus altis. 10, 229 cibum accipiunt digitis alienis (‚aus'). 15, 81 ardenti decoxit aeno (‚in') aut veribus (‚an').

A solita oratione alienus est nominativus passivo verbi ‚l u d e r e' appositus pro ablativo instrumentali: 8, 10 si luditur alea pernox. (cf. Sueton. Claud. 33 aleam studiosissime lusit.

Porro notetur constructio verborum, quae sunt ‚b i b e r e' et ‚c e n a r e'. His verbis, cum vasa pro instrumentis habeantur, quibus utimur ad bibendum vel cenandum, saepius a poetis ablativus instrumentalis adiungitur. b i b e r e: 2, 95 vitreo bibit ille priapo. 6, 304 cum bibitur concha. (it. Verg., Plin.). Quid poeta 7, 59 scripserit, non satis constat. Num ‚avidusque' recipiendum sit, quod Jahnius ex scholii lemmate coniciendum esse putavit, valde dubitaverim, cum dativum adiectivo ‚avidus' adiungere a legibus sermonis Latini abhorreat. Itaque Weidnerus lectione Pi, qui exhibet ‚vivendis' (rectius p. ‚bibendis'), mutata ‚avidusque bibendi fontibus' in textum recepit. Huic sententiae viri illius docti quominus assentiar obstat, quod ‚avidus' ad totius loci sensum aptum non esse videtur. Poeta enim dicere voluisse mihi videtur egregium vatem non tam avidum esse oportere carminis componendi quam idoneum, qui excitata mente suapte natura ad scribendum feratur, id quod Horatius A. P. 295 pulcherrime exposuit his verbis: ‚Ingenium misera quia fortunatius arte credit'. Quare in lectione ‚aptusque bibendis fontibus' acquieverim et ‚avidus' ad explicationem vocis ‚cupidus' appositum in textum irrepsisse putaverim. 10, 25 nulla aconita bibuntur fictilibus. 12, 47 multum caelati, biberat quo callidus emptor Olynthi. c e n a r e 3, 142 quam multa magnaque paropside cenat. 168 fictilibus cenare pudet.

Insolentior construendi ratio nobis occurrit 10, 155 ‚Poeno milite portas frangimus', ubi poeta ablativo nudo utitur loco ablativi a praepositione ‚cum' pendentis. Sed aequo audacius non dictum mihi videtur, cum Latini in eis dictionibus, quae

ad rem militarem pertinent, ablativo solo uti consueverint praepositione omissa. Similiter hoc loco Poenus miles nihil aliud est nisi instrumentum, inde ablativus instrumentalis. cf. Draeger I² p. 547. Eodem pertinet insolentior ablativi instrumentalis usus 3, 240 ingenti currit super ora Liburno. — Durior est ellipsis praepositionis ‚cum' 11, 106 ‚clipeo venientis et hasta', pro quo in oratione pedestri dicendum erat ‚cum clipeo'. Neque vero desunt apud alios poetas exempla, quibus haec ratio dicendi satis defenditur. Conferas velim de usu Vergiliano Kern ‚Zum Gebrauch des Ablativ bei Vergil'. Progr. gymn. Schweinfurt 1881 p. 33. Aliter explicat verba Buechelerus,[1]) qui assentiente Friedlaendero hanc constructionem proponit: nudam clipeo et hasta effigiem. Cui explicationi quominus assentiar, impedit vox ‚perituro', unde apparet, Martem terribili specie fuisse, quae sane efficitur clipeo et hasta. —

De versu 1, 67, in quo haerere solent et interpretes et critici, accuratam quaestionem instituam. Verba, quae sunt ‚signator falso', cum non satis explicari possent, multarum variarumque explicationum causa fuerunt. Primum remedio extrinsecus, ut ita dicam, adhibito locum, qui, ut traditur, corruptus esse videbatur, viri docti sanare conati sunt, cum ‚falso', quod cum substantivo ‚signator' coniunctum nullam probabilem explicationem habere videretur, commate post ‚signator' inciso ad verba, quae sequuntur, referrent. Hanc emendationem iam ab editoribus vetustissimis prolatam nostris temporibus Rupertius, Haeckermannus, nuper Mayor (l. l. I p. 115) probaverunt. Quae explicatio quamquam primo obtutu probabilis videtur, si accuratius inspexeris, reicienda est. Recte enim iam Weberus in adnot. ad sat. I monuit, si ‚falso' ad verba, quae sequuntur, referatur, signatorem nihil habere, quo, qualis ille fuerit, accuratius indicetur, et ‚falso' propter ‚exiguis tabulis' nullam fere vim habere; nisi forte ‚exiguis tabulis et gemma uda' per epexegesin appositum esse putamus, ita ut vertendum sit ‚fälsch-

*) ‚Coniectanea de Silio, Juvenale, Plauto, aliis poetis latinis' in mus. rhen. tom. XXXV (1880) p. 391—398.

²) Eisdem de causis hanc explicationem refutavit Friedlaenderus in Burs. Jahresb. XIV p. 178; neque vero mihi probatur sententia eius, qua ‚falso' adverbium sit.

lich, nämlich', quo modo toti sententiae sucus quasi ac vigor detrahitur.[2]) Antiqua igitur interpungendi ratio nobis servanda et verbum ,signator' cum ,falso' coniungendum erit. Quae cum verborum coniunctio explicatione satis probabili carere videretur, Madvigius in op. I p. 40 coniecit levissima permutatione ,signato falso', quam coniecturam Weidnerus rectissime refutasse mihi videtur his verbis: ,Allein wie ist es möglich, dass daraus die schwierigere Lesart ,signator' entstand? Und ist hier das die Gewohnheit und gewissermassen den Beruf bezeichnende Verbalsubstantiv nicht viel durchschlagender als das eine einzige Handlung andeutende Particip?' Poetam vero substantivis in ,or' exeuntibus saepe usum esse probant haec exempla: accusator 1, 161. 187. aedificator 14, 86. amator 2, 168. 6, 548. bellator 8, 10. 13, 168. caelator 9, 145. captator 5, 98. 6, 40. 10, 202. 12, 114. carptor 9, 110. circumscriptor 15, 136. contemptor 6, 342. corruptor 1, 77. 4, 8. 6, 233. 10, 304. cultor 9, 49. delator 1, 33. 3, 116. 4, 48. 10, 70. derisor 6, 534. dispensator 1, 91. emptor 8, 17. fossor 11, 80. grassator 3, 305. habitator 14, 312. inquisitor 4, 49. lector 1, 13. raptor 7, 168. secutor 8, 210. signator 10, 336. tortor 6, 480. 13, 195. 14, 21. tutor 8, 79. 10, 92. vector 12, 63. — Pergit Weidnerus: ,Würde die Rede nicht matt, wenn ein kräftiges Subject fehlen würde?' Immo vero. Madvigii igitur coniectura non ad textum emendandum valet neque explicatio deest, qua lectionem traditam tueri possimus. Puto enim ,falso' substantivi vim habere, cuius usus ex poeta nostro multa exempla collegit Rahnius[1]), idque eo minus offendere, quod substantivo ,signator' praecedente, quid poeta dicere voluerit, in dubium vocari non potest. Ex voce ,signator' facillime ,signo' suppleri posse Weidnerus Heinrichio auctore recte monet. Sed quamquam adhuc Weidneri sententiae adstipulari potui, de ceteris me assentientem prorsus non habet. Nam ,falso' dativum esse mihi persuadere non possum, equidem potius coniecerim ,signo falso' ablativi instrumentalis exemplum esse, ita ut vertendum sit: ,Untersiegler mit falschem Siegel'.

---

[1]) ,Selecta capita de syntaxi Juvenaliana'. Diss. inaug. Halis Sax. 1875 p. 20 sqq.

Ablativus instrumenti cum verbis instituendi, ornandi, delectandi, afficiendi construitur:

ornare 6, 79. 8, 253. 11, 64 ,fercula nunc audi nullis ornata macellis': audacter dictum, cum contrarium exspectes, neque enim fercula ornantur macellis, sed macella ferculis. instituere 14, 73. vestire 6, 516. 12, 100. colere 3, 94. armare 2, 100. succingere 4, 24. pasci = delectari 5, 150 quorum solo pascaris odore. afficere 8, 267.

Ablativus instrumenti verbis nutriendi, vivendi appositus: nutrire 3, 85. 14, 74 sq. fovere 6, 468. pascere 7. 76. 9, 136. 12, 105. vivere 5. 2 aliena vivere quadra.

Ablativus coniungitur cum verbis, quae sunt sudare, stillare, manare: sudare 4, 108 et matutino sudans Crispinus amomo. manare 15, 136 manantia fletu ora. stillare 5, 79 multo stillaret paenula nimbo.

Ablativus adiungitur verbis aestimandi, metiendi: censeri 8, 2 longo sanguine censeri. 74 censeri laude tuorum. metiri 9, 70 quanto metiris pretio; at 6, 358 nec se metitur ad illum quem dedit haec posuitque modum (,und richtet sich nicht nach dem Masse'.)

Haec verba deponentia c. abl. coniunguntur: uti 1, 149. 5. 170. 6, 195. 8, 184. fungi 11, 86. frui 1, 49 fruitur dis iratis. 5, 153. 11, 173. vesci 15, 13. 106. dignari 14, 324 (item abl. post adiectiva ,dignus' et ,indignus'.)

Ablativus cum verbo ,constare' coniungitur 14, 17 materia constare putat paribusque elementis.

Verbum cognoscendi c. abl. 11, 198 eventum viridis quo colligo panni.

Ablativum pretii praebent hi loci: 2, 152 nisi qui nondum aere lavantur. 3, 166 ,magno hospitium miserabile - magno - magno', ubi verbum omissum ,constat' facile subaudias. 235 magnis opibus dormitur in urbe. 4, 15 mullum sex milibus emit. 25 ,hoc pretio squamam!' ubi subaudias ,emisti'. 5, 60 tot milibus emptus. 6, 73 solvitur - magno. 447 quadrante lavari. 546 aere minuto - vendunt. 7, 77 constat leviori belua sumptu. 174 qua vilis tessera venit. 178 ,balnea sescentis', ubi supplendum ,constant'. 8, 65 pretiis mutare iubentur exiguis. 11, 19 quadringentis nummis condire. 145 calices et paucis

assibus emptos. 14, 218 vendit periuria summa exigua. 258 quanto capitis discrimine constant.

Ablativus copiae et inopiae: a) verba copiae et inopiae: abundare 2, 8. implere 2, 58. 96. 5, 75. 6, 310. 9, 56. 14, 288. imbuere 11, 144 furtis imbutus. 14, 123. carere 1, 59. 2, 56. 6, 39. 564. 7, 57. 8, 5. 10, 286. 357. 11, 53. 14, 69. 156. b) adiectiva copiae et inopiae: plenus 1, 33. 3, 187. 4, 47. 5, 66. frequens 13, 246 scopulosque frequentes exulibus magnis. (it. Liv., Curt.) vacuus 14, 57 vacuumque cerebro-caput. liber 9, 122 qui liber non erit illis. satur 15, 3 saturam serpentibus ibin. Eodem pertinet curtus 10, 135 ‚et curtum temone iugum', ubi ‚curtum' idem fere valet ac ‚carens'.

‚Opus est' semper impersonaliter usurpatur: 2, 121 censore-haruspice. 6, 368 abortivo. 10, 215 clamore.

Ablativus limitationis: 1, 24 patricios omnis opibus provocet unus. 2, 129 clarus genere atque opibus vir. 3, 160 censu minor. 4, 104 nec melior vultu. 6, 418 gravis occursu. taeterrima vultu. 461 foeda aspectu. 491 nuda humero. 499 aetate atque arte minores. 8, 21 Drusus moribus esto. 25 iustitiaeque tenax factis dictisque. 51 armis industrius. 10, 227 humero, hic lumbis, hic coxa debilis. 13, 26 numero. 176 nostro-arbitrio. 14, 51 similem-non corpore tantum nec vultu. Ablativos hoc loco genetivus ‚morum' excipit, pro quo, si per metrum fieri possit, propter concinnitatem potius ‚moribus' exspectes. 110 triste habitu vultuque et veste severum. 15, 114 par virtute atque fide sed maior clade.

Ablativus comparationis. Primi generis, ubi ablativus est loco particulae ‚quam' cum nominativo, ut locutionis etiam pedestri orationi usitatissimae, exempla afferre supersedeo. Duo tantum loci, qui memorentur, digni mihi videntur ob brachylogiam: 3, 74 ‚Isaeo torrentior' pro ‚torrentior quam sermo Isaei. 6, 486 ‚Sicula non mitior aula' pro ‚praefectura aulae Siculae'. — Similem quandam comparationem compendiariam habemus eis locis, ubi ablativus totius enuntiati vice fungitur, velut 6, 487 solito decentius. 11, 88 solito maturius. 13, 11 flagrantior aequo. — Ablativi usum pro ‚quam' c. acc. etiam oratio pedestris non prorsus respuit. (cf. Kuehner II p. 974.). Exempla huius usus Juvenaliana collegi haec: 2, 82 foedius hoc aliquid quandoque audebis amictu. 5, 6 ventre nihil novi frugalius. 8, 209 ignominiam graviorem pertulit omni vulnere. 231 tuis natalibus atque Cethegi inveniet quisquam sublimius? 10, 278 quid illo cive tulisset natura-quid Roma beatius umquam? 360 potiores Herculis aerumnas credat et venere et cenis et pluma Sardanapali. 13, 73 maiorem tertius illa summam sc. perdidit. 212 meliorem praesto magistro discipulum. 15, 119 ulterius nil aut gravius cultro timet hostia. — Semel ablativus positus est loco accusativi spatium significantis 13, 173 pede non est altior uno. — Non adiectivum sed adverbium tenet locum comparationis: 2, 56 Penelope melius, levius torquetis Arachne. 3, 90 qua deterius nec ille sonat. 6, 198 dicas haec mollius Haemo. 15, 88 nil umquam hac carne libentius edit.

Ablativus separativus.

cf. Hildebrand: ‚Über einige Zeitwörter, welche bei Cicero, Caesar und Livius mit dem blossen Ablativ und den Praepositionen ‚a', ‚de', ‚ex' verbunden werden'. Progr. gymn. Dortmund 1858. 1859. cf. summarium, quod Kuehnastius l. l. p. 166 sqq. affert ex commentatione illa. Klein: De verbis separandi apud Tacitum. Diss. inaug. Halis Sax. 1878. Ebeling l. l. p. 34 sqq. Antoine l. l. p. 159 sqq. Lange l. l. p. 19 sq. Georges l. l. p. 60. Seelisch l. l. p. 30 sq. Holtze l. l. p. 4 sq. Draeger: Hist. Synt. I p. 500 sqq. Kuehner l. l. II p. 266 sq.

In usu verborum, in quibus inest notio separandi, Juvenalis valde variat; modo praepositio liberiore usu omittitur modo adiungitur.

a) verba simplicia: cadere 3, 270 fenestris vasa cadant; at 7, 70 caderent omnes a crinibus hydri. (Ovid. abl., a, de, ex; Verg. abl., de; Hor. abl.; Liv. abl, de, ex; Cic. de, ex.) cedere semper c. abl.; exemplum praepositionis adiectae non exstat. 2, 131 vade ergo et cede severi iugeribus campi. 3, 29 cedamus patria. 6, 57 et agello cedo paterno. 11, 50 cedere-foro. (Ovid. abl.; Verg. abl, a, de, ex; Hor. abl., de; Cic. abl., ex, de, a; Liv. abl., ex; Sall. abl. ‚loco'; Tac. uno excepto loco semper c. abl.)

b) verba composita: abire 1, 132 vestibulis abeunt (Ovid. abl.; Verg. abl.; Cic. a, de, ex, abl.; Liv. abl., ex, a; Tac. abl., ex; Caes., Sall. ex; Vell. abl. ‚vita'; Val. Max. abl., ex.) abrumpere 6, 649 saxa iugis abrupta. (Liv. a; Tac. a, dat.;

saepissime incertum est, utrum sit dativus an ablativus.) avellere 3, 223 si potes avelli circensibus. (poetae plerumque abl., item Tac.; Cic. a, de, ex.) abstinere 6, 535. 11, 173. 14, 38. 99. 15, 11. 173. (Ovid. abl., a; item Cic., Liv., Tac.; Verg. abl.; Hor. abl., genet.) auferre 8, 241 quantum non Leucade quantum Thessaliae campis Octavius abstulit. Versum vitiosum esse ex magna lectionum varietate apparet. Pus et scholia in lemmate praebent ‚quantum in Leucade'. Praeterquam quod lectione ‚in' recepta hiatus fit, qui praeter hunc locum, ubi ultima vocabuli ‚quantum' syllaba caesura producitur, in caesura hephthemimeri apud Juvenalem ter (1, 151. 2, 26. 5, 58) invenitur, praepositio ‚in' offendit, cum Juvenalem, qui poetarum more praepositionem saepissime omittit, eam posuisse contra vulgarem dicendi rationem vix credibile sit. Sed cum hic fere sensus sine dubio subiciatur nostro loco: Cicero toga paceque eandem sibi peperit gloriam quam Octavius bello gladiisque udis, particula negativa totius loci sententiam perturbat. Quod etiam valet de coniectura Ribbeckii ‚vix'. Jahnius dubitanter proponit ‚sibi', Weidnerus ‚dein', Scholte (‚observationes criticae in satiras Juvenalis'. Traiecti ad Rhen. 1873 p. 73.) ‚sub', quam emendationem minime probo, cum ‚sub' minus vera lectio quam explicatio praepositionis ‚in' esse videatur, cui scholiastes, cum sermo sit de promontorio, accuratiorem illam ‚sub' i. e. am Fusse substituit. Quoquo modo res se habet, hoc certum est neque praepositionem ‚in' neque particulam negativam ferri posse et ablativos ‚Leucade', ‚campis' aptos esse ex verbo separandi ‚auferre'. deducere propria significatione 3, 136 alta-deducere sella; translata 8, 273 ab infami gentem deducis asylo. 13, 207 quamvis longa deductis gente propinquis. (Ov. abl., a; Verg., Hor., Tac. abl.; Cic. ‚ex' de loco, ‚a' per translationem, ‚de' promiscue; Caes., Liv. ex, de, a, abl.) distingere 14, 289 distinguitur unda. (it. Hor.; Tac. ‚a'.) distare semel cum nudo ablativo coniunctum est, bis cum praep. ‚a': 14, 98 nec distare putant humana carne suillam. — 11, 26 quantum ferrata distet ab arca sacculus. 13, 122 dogmata a cynicis-distantia. (Ov., Hor. abl., a; Hirt. Cic. a.). edere 4, 141 Rutupinove fundo edita ostrea. exsugere 8, 90 vacuis exsucta medullis, ubi ‚vacuis' per prolepsin positum est. summovere 3, 124 limine summoveor. (Ov., Liv., Tac., Sueton., abl.; Caes. ex; Val. Max. abl., ex; Vell. a, ex.) — Praepositione numquam caret ablativus in verbis hisce: abesse 4, 130. 16, 25. degenerare 14, 14 a magna non degenerare culina. (it. Tac.) demittere 15, 146 sensum a caelesti demissum-arce. descendere 7, 173 qui rhetorica descendit ab umbra. 10, 282 de Teutonico vellet descendere curru. 11, 27 e caelo descendit γνῶθι σεαυτόν. (Ov. abl., item Hor., Sallust. monte, equo, Vell. equo; Cic. ex, de, a; Liv. de, ex. Val. Max. abl., de.) effodere 16, 38 effodit medio de limite saxum. eicere 13, 242 eiectum-attrita de fronte ruborem. excidere 4,127 aut de temone Britanno excidet Arviragus. (poetae classici et prosaici posterioris aetatis abl.; Cic., Liv. ex, rarius de, ab.) exire 11, 42 talibus a dominis exit. movere 10, 29 de limine moverat. (Ov., Hor., Lucr. abl. ‚loco'; Verg. ‚ordine', ‚portis'; Cic. abll. ‚senatu, loco, tribu, possessione', de, ex; Liv. abll. ‚senatu, tribu, statu, gradu, vestigio', ex; Tac. abll. ‚senatu, ordine senatorio', a, ex; Val. Max. abll. ‚sede, senatu, tribu', a; Vell. ‚senatu'.) removere 12, 58 a morte remotus. (Ov. abl., a; Hor. a; Tac., Val. Max. a; Liv. abl., a; Lucr., Vell. abl.) rapere 15, 82 summa caeli raptum de parte. (Ov. abl., a, de, ex; Verg. ex, de; Hor. semper ‚a'; Tac. ex, semel ‚de'.) venire modo c. praep. ‚a', modo c. praep. ‚de' invenitur: 6, 139 veniunt a dote sagittae. 11, 160 a quibus (montibus) ipse venit. 11, 65 de Tiburtino veniet-agro. migrare 15, 151 migrare vetusto de nemore. (Lucr. abl. ‚ordine'.) trahere 11, 23 et a censu famam trahit. separare 15, 143 separat hoc nos a grege mutorum. (Ov., Lucr. abl.; Vell. abl., a; Cic., Tac. semper ‚a'.)

Procul semper c. ‚a' coniungitur: 3, 89 procul a tellure. 16, 17 procul a signis.

Ablativus modi. A. Nomini in ablativo modali posito attributum (vel adiectivum vel genetivus) adiungitur.

1. Substantiva, in quibus modi notio inest. Mos. 2, 87 more sinistro. 116 Phrygio-more 3, 261 more animae. 8, 156 more Numae. 13, 38 hoc more. Modus: 6, 275 quo-modo. 13, 73 hoc-modo. 14, 117 quocunque modo. 6, 406 modis quot. 9, 73 quibus-modis. Ritus: 10, 335 et ritu decies centena dabuntur antiquo. Kiaerus l. l. p. 75, cui assentitur Friedlaenderus (Burs. Jahresb. III p. 213), recte coniecisse videtur a poeta ‚ex ritu-antiquo'

scriptum esse, qua coniectura duabus sententiis copulative iunctis adduntur duae sententiae per asyndeton positae. Exemplum: 13, 1 exemplo quodcunque malo committitur.

2. Alia substantiva. a) adiectivum vel pronomen additum est: 1, 98 falso nomine poscas. 123 hic petit absenti nota-arte. 127 dies pulchro distinguitur ordine. 2, 91 talia secreta coluerunt orgia taeda. 3, 182 vivimus ambitiosa paupertate. 4, 32 magna qui voce solebat vendere. 5, 67 quanto porrexit murmure panem. cf. 5, 78. 124. 6, 159. 261. 306. 406. 7, 85. 153. 10, 5. 12. 110. 113. 259. 271. 288. 11, 2. 96. 13, 76. 14, 13. 27. 54. 203. 15, 53. — Compluribus locis ablativus modalis cognatus est ablativo qualitatis, cum aeque atque hic corporis vel animi qualitatem aut animi motum significet ita tamen, ut non cum substantivo arte coniunctus esse videatur sed potius cum praedicato. Sunt hi: 1, 111 pedibus qui venerat albis. 3, 252 quas recto vertice portat servŭlus infelix. 4, 149 praecipiti venisset epistula pinna. 6, 93 pertulit Jonium constanti pectore. 122 nuda papillis prostitit auratis. 148 sicco venit altera naso. 305 geminis exsurgit mensa lucernis. 401 loqui recta facie siccisque mamillis. cf. 7, 16. 8, 129. 9, 2. 35. 10, 178, 189. 11, 43. 12, 81. b) Genetivus attributivus additus est: 3, 121 gentis vitio. 7, 137 et strepitu et facie maioris vivere census. 8, 161 hospitis adfectu. 11, 195 pace immensae nimiaeque-plebis. 14, 109 specie virtutis et umbra. 137 egentis vivere fato. 15, 53 vice teli. B. Nomina sine determinatione attributiva ablativo modali construuntur: 2, 34 iure ac merito. 2, 43. 11, 23 iure. 3, 221. 8, 114. 10, 208 merito. 2, 144 lustravitque fuga mediam gladiator harenam. 3, 253 cursu ventilat ignem. 7, 240 ne faciant vicibus. 10, 4 quid enim ratione timemus aut cupimus? 14, 107 sponte tamen iuvenes imitantur cetera. —

Nonnullis locis ablativus modalis eandem quam ablativus absolutus explicationem habet ideoque in compluribus libris grammaticis huic generi ablativi adscribitur: 4, 152 vindice nullo. 7, 100 nullo modo (‚ohne Mass'). 8, 54 nullo quippe alio vincis discrimine (‚ohne dass ein anderer Unterschied besteht'). 10, 129 dis ille adversis genitus fatoque sinistro. 13, 104 committunt eadem diverso crimina fato. 156 adversis-fatis. 16, 3 secundo sidere. 11, 204 in balnea salva fronte licet vadas.

Ablativus modalis praepositione ‚per' circumscribitur his locis: 1, 72 ‚per famam et populum' — figurae, quam vocamus ἓν διὰ δυοῖν exemplum maxime conspicuum. 5, 159 per lacrimas. 6, 324 per ludum. 14, 135 divitias haec per tormenta coactas. 229 ‚per fraudes', sed maxime dubium est, an hic versus non Juvenalis sed interpolatoris cuiusdam sit, ut Heinrichius, Rupertius, Hermannus voluerunt.

Ablativus mensurae sive **differentiae** coniungitur a) cum comparativis: 3, 18 quanto praestantius. 8, 140 tanto conspectius, quanto maior. cf. 10, 14. 140. 11, 24. 13, 196. 14, 264. 312. Pro ‚multo' c. comparativo coniungitur ‚multum' his duobus locis: 10, 197 multum nobustior. 12, 66 nec multum fortior aura. — Uno loco ‚longe' ad comparativum additum est: 6, 210 longe minus. — b) cum verbis loci differentiam significantibus, velut 12, 58 digitis.-remotus quattuor aut septem. c) cum verbis comparativi vim habentibus: 10, 13 ‚cuncta exsuperans patrimonia census', ubi ‚tanto' ex ‚quanto', quod sequitur, subaudias. 13, 58 praecedere quattuor annis. d) comparativi instar sunt adverbia ‚ante' et ‚post': 6, 227. 9, 114 paulo ante; ‚post' non exstat.

Ablativus qualitatis nusquam cum verbo coniungitur, sed semper ex substantivo pendet. Exempla, quae collegi, sunt haec: 2, 112 crine senex fanaticus albo. 3, 66 picta lupa barbara mitra. 5, 85 exigua-cena patella. 89 canna-prora-acuta. 131 homines pertusa-laena. 6, 121 veteri centone lupanar. 490 laceratis ipsa capillis. 491 nuda humero Psecas infelix nudisque mamillis 7, 55 communi-carmen-moneta. 11, 32 magno discrimine causam. 123 magno-pardus hiatu. 188 suspectis multicia rugis. 14, 146 lassoque famelica collo iumenta. 15, 6 Thebe centum-portis. 16, 11 tumidis livoribus offam. — Pro ablativo qualitatis praepositionem ‚de' positam habes 6, 45 antiquis uxor de moribus. — Materiam, qua quid factum est, ablativus significat his locis: 6, 263 quam denso fascia libro. 559 torum-frondibus et culmo vicinarumque ferarum pellibus. 7, 46 quae conducto pendent anabathra tigillo. 134 Tyrio stlattaria purpura filo. De usu Verg. cf. Kern l. l. p. 38 sq.

Ablativus loci. A. Locativi exempla sunt haec: a) nomina urbium: 3, 223 Sorae aut Frabateriae. ‚Romae' pluribus locis.

b) nomina appellativa: humi 8, 78. domi 1, 120. 2, 84. 6, 152. 357. 465. 10, 65. 11, 117. 12, 10. 119. 13, 57. ‚Animi‘ adiectivo adiungitur 14, 119 animi felices. Viri docti inter se dissentiunt, utrum ‚animi‘ sit genetivus (Draeger Hist. Synt. I p. 481) an locativus (Kuehner II p. 355). Sed recte de hac re disputavit Schaeflerus l. l. p. 42: ‚Bei der Form ‚animi‘ spricht besonders der längst bekannte Umstand für die Theorie des Lokativs, dass im Plural nicht ‚animorum‘, sondern nur ‚animis‘ (abl. loc.) zu lesen ist.‘ Haec loquendi ratio apud poetas (Plaut.,[1]) Verg.,[2]) Hor.,[3]) Terent.[4])) et inde a Livio[5]) etiam apud pedestris orationis scriptores (Tac.[6]) saepius occurrit, singillatim iam apud Sallustium.

B. Ablativus localis. 1) ad significandum locum, ubi quid fit.

a) nomina urbium et terrarum. 2, 155 Cannis. 3, 224 Frusinone. 4, 140 Circeis. 6, 56. 7, 4 Gabiis. 6, 57 Fidenis. 555 Delphis. 9, 57 Cumis. 101 Athenis. 12, 127 Mycenis. Nomini urbis adiectivum adiungitur: 2, 2 vacuis-Cumis. 80 mediis-Athenis. 190 sq. gelida Praeneste, positis-Volsiniis, simplicibus Gabiis. 10, 102 vacuis-Ulubris. — Vel terrarum nominibus poetas interdum praepositionem ‚in‘ detraxisse, ubi agitur de loco, quo res geritur, et nudum ablativum posuisse notum est. Juvenalianum est 12, 103 nec Latio-talis belua concipitur. (it. Verg., Tac.)

b) nomina appellativa. Nomina quaedam secundum vulgarem dicendi rationem a Juvenale in nudo ablativo praepositione ‚in‘ omissa ponuntur: Loco 3, 230 quocunque loco quocunque recessu. 5, 12 primo-loco. ‚Loco‘ notione ‚anstatt‘ cum genetivo substantivi 7, 210 sancti-parentis esse loco. Parte: 6, 437. 7, 182 alia parte. 7, 159 laeva parte. 10, 213. 12, 48 qua parte. 13, 136 diversa parte (‚hin und her‘.) Terra, mari: 14, 222 terraque marique. — Cum adiectiva ‚totus‘, ‚medius‘ adiunguntur substantivis locum designantibus, ut in sermone pedestri, praepositio aut ponitur

[1]) Holtze: Syntax. prisc. scr. Lat. I, p. 331.
[2]) Antoine l. l p. 230 sq. Kern l. l. p. 7.
[3]) Ebeling l. l. p. 25.
[4]) Heinrichs: De ablativi apud Terentium usu et ratione. Progr. gymn. Elbing 1858 p. 3.
[5]) Kuehnast l. l. p. 75.
[6]) Seelisch l. l. p. 7.

aut omittitur: Totus 4, 54 aequore-toto. 6, 61 cuneis-totis. 183 testudine tota. 8, 206 tota-harena. 10, 24 toto-foro. 63 toto orbe. 11, 141 tota-Subura. 13, 218 toto-toro. 14, 154 toto-pago. Praepositio additur: 6, 402 toto-in orbe. 9, 13 tota-in cute. Medius duobus locis cum nudo ablativo coniungitur (1, 157 media-harena; 1, 63 medio-quadrivio.), uno loco (6, 108 mediisque in naribus) praepositio adiecta est. — Adiectivo ‚omnis‘ semper praepositio addita est: 8, 239 in omni monte. 10, 1 omnibus in terris. —

Ablativus viam significat, qua transportatur aliquid 7, 121 vinum Tiberi devectum.

Quantam licentiam poetarum more, quo in ablativis loci praepositio nominibus detrahitur, noster sibi vindicaverit, multi loci testantur: 1, 113 etsi funesta pecunia templo nondum habitas. 2, 12 sed podice levi caeduntur tumidae-mariscae. 60 magno quae dormit tertia lecto. 102 res memoranda novis annalibus atque recenti historia. 106 Bebriaci campo. 3, 173 festorum herboso colitur si quando theatro maiestas. 192 aut proni Tiburis arce. 236 sq. arto vicorum inflexu. 4, 100 figebat Numidas Albana nudus harena venator. 112 marmorea meditatus proelia villa. 5, 138 nullus tibi parvolus aula luserit Aeneas. 6, 18 aperto viveret horto. 60 porticibusne tibi monstratur femina voto digna tuo. 80 testudineo-conopeo. 204 lance beata Dacicus et scripto radiat Germanicus auro. 8, 6 generis tabula iactare capaci. 59 exultat rauco victoria circo. 10, 61 follibus et caminis ardet-caput. 169 aestuat infelix angusto limite mundi. 11, 78 parvo quae legerat horto. 13, 41 privatus adhuc Jdaeis Juppiter antris. 14, 8 eodem iure natantis. 80 propria-facit arbore nidos. 86 ‚curvo litore Caietae summa nunc Tiburis arce‘, ubi praepositio ‚in‘ ablativum excipit: ‚nunc Praenestinis in montibus alta parabat culmina villarum‘. 267 Corycia-puppe moraris. 280 Herculeo stridentem gurgite solem. 15, 5 ‚dimidio magicae resonant ubi Memnone chordae‘, ubi nos dicimus ‚am verstümmelten Memnon‘ cf. Verg. Aen. 4, 149 tela sonant humeris (‚an den Schultern‘) 15, 61 quo nemore.

Licentia poetis data Juvenalis haud raro ablativum ponit de loco, ubi invenitur aliquid vel ostenditur: 3, 68 ceromatico fert niceteria collo; alio loco praepositio ‚ex‘ addita est: 10, 39 ferentem ex humeris. 2, 41 hirsuto spirant opobalsama collo.

6, 588 quae nudis longum ostendit cervicibus aurum. 8, 208 longo iactetur spira galero. 10, 43 sceptro quae surgit eburno

Verba, quibus ubique fere ablativus adiungitur ad significandum locum, ubi quid fit, sunt haec[1]): sedere 1, 95 nunc sportula primo limine parva sedet. Herwerdenus (‚coniectanea Latina‘ in Mnemosyne nova series I (1873) p. 395—412) proponit legendum ‚decet‘ i. e. decora habetur. Sed recte Friedlaenderus: ‚sedet ist als ein burlesker Ausdruck aufzufassen‘. 6, 263 quanta poplitibus sedeat - fascia. 7, 126 feroci bellatore sedens. 8, 63 si rara iugo victoria sedit. 10, 213 sedeat qua parte. 13, 68 examen - consederit - culmine delubri. Praepositio adiecta est: 7, 43 extrema in parte sedentis. 10, 93 angusta in rupe sedentis. 239 quod steterat multis in carcere fornicis annis. iacere 1, 136 vacuisque toris tantum ipse iacebit. 2, 120 gremio iacuit. 6, 594 sed iacet aurato - lecto. 14, 167 casae, qua feta iacebat uxor. - Neque vero deest exemplum praepositionis additae: 7, 79 iaceat Lucanus in hortis marmoreis. stare 6, 291 stantes collina turre mariti. 9, 24 nam quo non prostat femina templo. 10, 36 curribus altis exstantem. 11, 173 olido stans fornice. Praepositio addita est 8, 3 stantis in curribus Aemilianos. pendere 11, 82 rara pendentia crate. Praepositio ‚de‘ adiecta est 10, 134 fracta de casside buccula pendens. suspendere c. abl. 9, 85 foribus suspende coronas; c. praep. ‚in‘ 6, 437 in trutina suspendit Homerum.

Vel cum adiectivo coniungitur abl. localis 10, 37 medii sublimem pulvere circi. (similiter Curt. sublimis curru 3, 11, 7. 4, 1, 1. Verg. altus equo 12, 295; contra 7, 285 sublimes in equis redeunt.)

Juvenalem ablativum posuisse, ubi in oratione pedestri praepositionem ‚per‘ exspectes, testantur hi loci: 1, 19 cur tamen hoc potius libeat decurrere campo. 6, 430 marmoribus rivi properant. 70, 185 ‚sed qualis rediit? nempe una nave cruentis fluctibus‘, ubi praep. ‚per‘ (‚per densa cadavera‘) ablativum excipit.

Haud raro verbis ponendi[2]) et similibus ablativus nudus

[1]) de usu Vergiliano cf. Antoine l. l. p. 226. Kern l. l. p. 9 sqq., de usu Catulliano cf. Overholthaus l. l. p. 32., de usu Tibulliano cf. Streifinger l. l. p. 19.

[2]) de usu Verg. cf. Antoine l. l. p. 224. Kern l. l. p. 18 sqq., de usu Lucret. cf. Holtze l. l. p. 9.

adiungitur ad significandum locum, quo motus aliquis pertinet: a) verba ponendi. 2, 85 toto posuere monilia collo. 9, 52 strata positus longaque cathedra. 10, 156 media vexillum pono Subura. 11, 79 focis brevibus ponebat. 108 ponebant Tusco farrata catino. 13, 86 qui casibus omnia ponant. 14, 82 praeda cubili ponitur. Neque vero desunt exempla praepositionis adiectae, velut 6, 588 plebeium in circo positum est et in aggere fatum. 13, 116 in carbone tuo - ponimus. componere 3, 10 reda componitur una. 263 pleno componit lintea guto. disponere 6, 163 porticibus disponat avos deponere 11, 126 deposuit Nabataeo belua saltu. recumbere 3, 82 toro meliore recumbet. locare 10, 366 caeloque locamus. b) mergere[1]) c. ablat. nudo coniunctum est duobus hisce locis: 6, 523 ter matutino Tiberi mergetur. 8, 86 Cosmi toto mergatur aeno; semel praepositio invenitur: 11, 40 mersis in ventrem. (Ov. variat in structura huius verbi, ponit praep. ‚in‘ c. abl. et acc., praep. ‚sub‘ c. abl. et acc., nudum abl.; Verg. abl et praep. ‚sub‘ c. abl.; Lucan. ‚in‘ c. acc. et ‚per‘; Catull. abl. ‚Oceano‘; Hor. ‚mersare‘ c. abl.). c) claudere 10, 170 clausus scopulis parvaque Seripho. (Ov., Hor. abl. et praep. ‚in‘ c. abl.; Verg. abl.) includere[2]) 12, 123 inclusus carcere nassae (Ov., Verg., Hor., Val. Max. abl.; Livius ‚in carcere‘ et nudum abl. cf. Kuehnast l. l. p. 173.) d) spargere 9, 84 libris actorum spargere gaudes argumenta viri. (it. Verg. cf. Kern l. l. 17.)

2) ad significandum locum, unde motus proficiscitur. Nominibus urbium semper adiungitur praep ‚ab‘, ut significetur locus, unde fit distantia: 3, 320 a Cumis. 7, 163 a Cannis. 10, 72 a Capreis. Exemplum praepositionis omissae non notavi. — Compluribus locis ablativus de loco ponitur, unde aliquid venit vel sumitur: 3, 181 aliena sumitur arca 12, 104 furva gente petita. Eodem pertinere mihi videtur 4, 148, ubi recentiores editores in textu constituendo dissentiunt, cum Pi lectionem ‚et‘ ferri non posse intellexerint. Proposuerunt ‚e‘ (Jahnius in edit. altera) ‚a‘, ‚ec‘ (Ribbeckius); equidem cum in omissa praepositione non magis offendam loco nostro quam duobus illis a me allatis, lectione deteriorum codicum probata potius scribendum esse

[1]) cf. Draeger: Hist.: Synt. I p. 552.

[2]) cf. Draeger: Hist. Synt. I p. 550 sq.

coniecerim: ‚dicturus, tamquam diversis partibus orbis - venisset epistula'.

Ablativus temporis. Cum Juvenalis in usu ablativi temporis ad interrogationem quando? respondentis legibus pedestris orationis prope obtemperet, pauca quaedam attulisse satis habebo. 15, 43 nocte et luce. 11, 186 prima luce. 8, 151 clara luce. 2, 133 primo sole. 8, 11 ortu luciferi. 5, 22 ‚sideribus dubiis', quo significatur tempus, quod lucem antecedit, 9, 68 aquilone Decembri. 15, 55 toto certamine. 5, 31 bellis socialibus. 9, 53 femineis-kalendis. 10, 115 totis quinquatribus. 13, 224 primo quoque murmure caeli. — Duobus locis praepositionem inveni: 11, 185 per totum cessare diem; at 6, 474 toto quid faciant agitentque die. 14, 190 media de nocte.

Late patet usus ablativi ad significandam diuturnitatem temporis, id quod haud rarum est apud scriptores argenteae aetatis. Jam apud Ciceronem pauca exempla huius usus exstant, velut off. 3, 2. divin. 1, 19. Adde Caes. b. g. 1, 26. b. civ. 1, 7. 46. cf. Kritzium ad Sall. Iugurth. 54, 1. Exempla Juvenaliana collegi haec: 6, 183 septenis - oderit horis. 7, 235 quot Acestes vixerit annis. 9, 16 quem tempore longo torret quarta dies. 10, 239 quod steterat multis in carcere fornicis annis. 11, 53 caruisse anno circensibus uno. 72 servatae parte anni quales fuerant in vitibus uvae. 152 longo non visam tempore matrem.

Jam devenimus ad ablativum, quem dicimus **absolutum**. Ut cotidiana et usitata illa omittam, pauca quaedam poetae propria proferam. Aliquoties igitur ablativum absolutum extra enuntiationis structuram positum deprehendimus, cuius usus vel apud rerum scriptores exempla non desunt, velut Caes. b. g. 5, 43 ‚principibus Trevirorum ad se convocatis hos singillatim Vercingetorigi conciliavit'. De hoc liberiore genere dicendi inspicias velim quaestionem a Schoemannio in opusc. III p. 373 sq. accurate institutam. Exempla Juvenaliana sunt haec: 1, 70 porrectura viro miscet sitiente rubetam. Weidnero ‚viro' dativum et ad ‚sitiente' ‚eo' esse subaudiendum censenti non assentior. 152 quodcunque animo flagrante liberet. Eodem pertinent haec duo exempla praepositionis ‚a' omissae: 2, 13 caeduntur tumidae medico ridente mariscae. 10, 177 epotaque flumina Medo prandente.


COLUMBIA UNIVERSITY
0032186894

